BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 I
M32

L.2

12
22
A
26

Digitized by Google

DE
IMMOBILITATE
TERRAE.

Digitized by Google


DE
IMMOBILITATE
TERRÆ
HORATII
MARIÆ
BONFIOLI
Fontana f.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

DE IMMOBILITATE TERRAE TRACTATVS

HORATII MARIÆ BONFIOLI
Presbyteri Congregationis
Oratorij Fanenſis.

Ad Eminentiſs. & Reuerendiſs. Principem

D. CAROLVM
S.R.E. CARD. CARAFAM
Bonon. de Lat. Legatum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS



BONONIAE,
Ex Typographia Manoleſsium. 1667.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Eminentiſs. & Reuerendiſs. Principi

D. CAROLO CARAFÆ
S. R. E. CARDINALI
Bonon. de Lat. Legato

HORATIVS MARIA BONFIOLVS
Presbyter Congregationis Oratorij
Fanenſis

AETERNAM FOELICITATEM.

LIbellum hunc, cui terra carcer, & meta eſt, coram E. V. ſiſtere, eiuſque nomini dicare non vereor; nam ad hoc me hortari videntur verba illa

Re-

Regis Pſalmographi: *Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit*: ſi enim iuſtitia, virtus illa, quæ trutina eius inſigne gentilitium exornat, de cœlo ad veritatem proſpicit, quomodo è cœlo ingenij eius ad eam, quæ in hoc libro contenta, de terra, eiuſque immobilitate orta eſt, oculos flectere dedignabitur? Ne reijciat ergo E. V. in hoc argumento firmam obſequij mei imaginem; ſed quod, non paucis ab hinc annis, ei dedere il-

la, qua maximè refulget benignitas coegit, hilari, ſerenoq; vultu excipiat; quod dum ego inconcuſsus, & ab omni trepidatione ſecurus expecto, E. V. demiſsiſſimè veneror. Vale.

Bononiæ Quinto Kalendas Iunij 1667.

Ad

VObis de terræmotu adhuc loquentibus non iniucundum erit, vt arbitror, transferre ſermonem ad immobilitatem terræ; de qua vobis occurret libellus iſte, qui totus Sacroſanctæ Scripturæ innititur: legem autem huiuſmodi ſeruat, quia de cœlo, & de his, quæ cum illo proportionem habent, naturaliter dari ſcientiam ipſe Deus in Iob negauit, & ipſi, poſteriſq; dixit: *Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra?* Tum quia ipſa Scriptura, vt aſſeruit Daniel, in ſe certiſsimam continet veritatem, & eſt illa, quam nos ſcrutari ipſemet

Digitized by Google

Redemptor Noſter hortatus eſt, & quæ, vt teſtatur Apoſtolus, *diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in iuſtitia*. Vos itaque fauentibus oculis illi aditum pandite, & quæcumque in eo occurrerint, errata benignè indulgete, atque diù, fœliciterque Valete.

ELEN-

ELENCHVS

Singulorum Capitum.

Caput Primum.

Quid ſit terræmotus. pag. 1

Caput Secundum.

Quid ſit Mundus, & eius ſumma diuiſio. 7

Caput Tertium.

Tres eße cælos, & in medio horum Solem, & aſtra contineri. 14

Caput Quartum.

Terram eſſe in medio Mundi. 20

Caput Quintum.

Idem ex aliis Scripturæ locis confirmatur. 26

Caput Sextum.

Inferos in terræ medio contineri. 34

Ca-

Caput Septimum.

Ad idem aliæ probationes. 41

Caput Octauum.

Cælum Empyreum non moueri, aëreum verò alterationibus obnoxium eſſe. 48

Caput Nonum.

Cæli ſtellati proprium eſſe moueri. 55

Caput Decimum.

Venerem, & Lunam moueri. 61

Caput Vndecimum.

Solem continuò moueri. 65

Caput Duodecimum.

Idem probatur authoritate Dauidis, & Salomonis. 70

Caput Decimumtertium.

Menſuram diei, & anni deſumi à motu Solis. 77

Ca-

Caput Decimumquartum.

Refertur, & perpenditur miraculum retroceſsionis Solis factum tempore Ezechiæ. 82

Caput Decimumquintum.

Examinatur miraculum ſtationis Solis factum à Deo inſtante Ioſue. 87

Caput Decimumſextum.

Referuntur nonnulla allata loca, ex quibus probatur immobilitas terræ. 93

Caput Decimumſeptimum.

Idem aliunde probatur. 99

Caput Decimumoctauum.

Ex prædictis arguitur terram non moueri motu trepidationis. 108

QVID

QVID SIT TERRAEMOTVS. Caput I.

COncuſsio, quam terra poſtridie nonas Aprilis in Epidauria, & finitima regione, necnon decimoquinto Kalendas Maij anni labentis in Bononienſi, & Florentino territorio paſſa eſt, Terræmotus appellatur; quod ea ratione fieri patet, quia aliter ipſam terram non moueri, Spiritus Sanctus in Sacris Scripturarum notis apertè nos docuit: ideòque iſte motus aliquando trepidatio, aliquando commotio, aliquando concuſſio, aliquando confractio, contritio, agitatio, atque motio per diuerſas, ſed vniuocas voces in eiſdem Scripturis appellatur.

Digitized by Google

Nam,cum Propheta Ioel per deſcriptionem Hieroſolymorum excidij prænunciet horrorem extremi iudicij in
Ioel.2. hęc verba effuſus: *A facie eius con-*
10. *tremuit terra,moti ſunt cæli:* indicauit talem futurum illa die fragorem in aduentu Domini, quod cœli ipſi vna cum terra contremiſcent, vt docet Hugo de
Ioel.n. Sancto Victore ad illa eiuſdem: *Ma-*
16. *nebuntur cæli,& terra*; cui ſententiæ aſſentire videtur D. Hieronymus deſignans hoc euenturum, non ex vi naturæ,ſed propter terrorem vocis eiuſdem; qui terror tantus erit, vt non ſolum tanget terram, & homines habitantes in illa,verum etiam cœlos,& Angelos, qui ſunt ciues cęleſtes, vt notat Lyranus ad ſupradicta verba: *Contremuit terra, moti ſunt cæli.*

In quam ſententiam venire etiam videtur verſio Ariæ Montani, quæ, vbi vulgata legit: *Moti ſunt cæli:* habet: *Tremuerunt cæli:* & è conuerſo Pagninus legens: *Ante eum mouit ſe*

ter-

terra: loco verborum: *A facie eius contremuit terra:* oſtendit ſe in verſione Sacræ Scripturæ ſumpſiſſe motum cœli, & terræ pro trepidatione ipſorum.

Quod apertius colligitur ex verbis, quæ Dauid cecinit in die liberationis ſuæ de manu Saul, & inimicorum, inter quæ ſunt iſta: *Commota eſt, & contremuit terra: fundamenta montium concuſſa ſunt, & conquaſſata:* ex quibus habetur, quod commotio terræ eſt tremor ipſius, ex quo prouenit concuſſio, & conquaſſatio ipſorum montium. 2.Reg. 22. 8.

Et ideo faſſus eſt Iob, quod Deus eſt ille, *qui commouet terram de loco ſuo:* ſignificans, vt docet Tirinus, quod Deus cõmouens terram, ipſamq; concutiens, & tremere faciens, mouet de loco ſuo partes ipſius, vt ſunt vrbes, montes, & inſulę; quæ expoſitio videtur inniti verbis Pſalmi: *Commouiſti terram, & conturbaſti eam, ſana contritiones eius, quia commota eſt;* quæ etſi apertè oſtendant, ex commotione terræ prouenire Iob. 9. 6. Pſ 59. 4.

eiuſdem conturbationem; & partium amotionem; tamen apertius etiam ſignificant, ſi vnà cum verſione Caietani legantur, nam illa dicit: *Tremere feciſti terram, medere confractiones eius: quoniam lapſa eſt*.

Nec ſolus Tirinus in hac expoſitione, ſed etiam Lyranus idem ſentit, cum dicat, quod Deus commouet illam, non ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliquas eius partes, cui fauent Biblia Complutenſia in verbis: *Qui concutit terram*; & verſio Montani legentis: *Tremefaciens terram*.

Neque dubitandum eſt de expoſitione huiuſmodi, cum habeatur in Euangelio Matthęi prodigia, quæ tempore mortis Domini euenere narrantis: *Terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt*: & paulò poſt: *Centurio, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, viſo terramotu; & his, quæ fiebant: timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iſte*: ex quibus ſatis colligitur, quod ille motus, qui tunc terræ

Matth. 27.51.

eue-

euenit, talis fuit concuſſio, vt etiam ipſę petræ ſcinderentur; quare verſio Syriaca ad maiorem intelligentiam legit: *Terra commota eſt*; quæ commotio non ſolum Hieroſolymæ, ſed & toto reliquo orbe ita magna, teſte Baronio, extitit, vt etiam alibi & ædes collapſæ, & petræ, & rupes ſciſſæ, vt docent Euſebius, & Cyrillus apud Tirinum, conſpicerentur.

Et ideo non mirabimur, ſi verba illa quinti Iudicum: *Domine, cum exires de Seir, & tranſires per regiones E-* Iudic. 5. 4.
dom, terra mota eſt; legantur diuersè ab alijs, dicente Aria: *Terra commota eſt*: Guarino: *Terra concuſſa eſt*: & Maluenda: *Terra impetu concuſſa fuit*: quæ ab ipſis ita redduntur, quò motum cum terrore, impetu, & vehementi concuſsione factum declarent, vt docet Haye in ſua concordia: & ſic, vbi in pſalmo legitur: *Terra mota eſt, etenim* Pſ. 67.
cæli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à fa- 9.
cie Dei Iſrael: Sanctus Hieronymus le-

git: *Terra commota eſt*: Caietanus verò: *Terra tremuit*; & Symmachus: *Terra concuſſa eſt*: prout etiam in verbis Aggęi, vbi Deus ad Prophetam dicit: *Lo-*
Aggai 2. 22. *quere ad Zorobabel ducem Iuda, dicens: Ego mouebo cælum, pariter & terram*: legitur in Biblijs Regijs: *Commouebo*: in verſione autem Septuaginta Interpretum: *Ego commouebo*: & in Syriaca: *Concutiam*; cum Pagninus legat: *Tremere facio*; & ne in immenſum protrahantur exempla, ſufficiet dicere, quod verba il-
Hebr. la Apoſtoli: *Cuius vox mouit terram*
12. 26. *tunc, nunc autem repromittit, dicens: Adhuc ſemel, & ego mouebo, non ſolum terram, ſed & cælum*; leguntur à verſione Syriaca: *Terram commouit, & ego commouebo*; ab Arabica verò: *Terram concuſſit, certè concutiam*.

Et hoc maximè, quia Iſaias nos do-
Iſ. 24. 20. cet, quid ſit Terræmotus, dicens: *Agitatione agitabitur terra, ſicut ebrius*: cum iam prius dixiſſet; *Confractione confrigetur terra: Contritione conteretur terra*: *Com-*

Commotione commouebitur terra; ad quæ, dixerat Menochius in annotatione, quod terra quaſſabitur, commouebitur, & varijs locis propter concuſſionem illam ſcindetur; quare optime poſſumus affirmare, quod Terræmotus eſt agitatio vehemens, & inordinata, quam patitur terra ad ſimilitudinem hominis vino confecti, qui nullo modo quieſcere poteſt.

Quid ſit Mundus, & eius ſumma diuiſio. Caput II.

DIximus, quod terra mouetur tãtum motu agitationis, quod cum difficultatem apud aliquos pati poſſit, authoritate Sacræ Scripturæ probandum eſt; &, quò facilius id contingat, præmittendum eſt terram in centro mundi conſiſtere, & Solem circa ipſam continuò moueri.

Per Mundum autem intelligi omnes

creaturas viſibiles dubium non erit attendenti verba Euangeliſtæ Iohannis, qui de primo aduentu in Mundum Redemptoris noſtri verba faciens, ſic ait:
Io. 1. 10. *In Mundo erat, & Mundus per ipſum factus eſt;* nam ſi per Mundum ab ipſo factum intelligenda eſt omnis creatura, vt aiunt Lyranus, & Menochius; quandò ſermo erit de Mundo viſibili, prout in caſu noſtro, tunc ſanè intelligenda erit omnis viſibilis creatura.

Et in hac ſignificatione ſumptum fuiſſe verbum hoc *Mundi* ab Apoſtolo,
Act. 17. 24. dum loqueretur ad Areopagytas: *Deus, qui fecit Mundum, & omnia, quæ in eo ſunt: hic cœli, & terræ cum ſit Dominus, non in manufactis templis habitat:* oſtendit verſio Arabica, quæ habet: *Deus, qui creauit orbem, & omnes creaturas, quæ in eo ſunt:* imò, & ipſummet Redemptorem noſtrum idem intendere voluiſſe,
Matth. 16. 26. cum dixit: *Quid prodeſt homini, ſi Mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur:* clarè patet; nam

nam dæmonum ſocietaté obtinere iac. tura eſt, non lucrum; conſortium autem Angelorum conſequi nunquam detrimentum animæ poterit inferre : & hoc etiam mirabilis ſapientia Iob intellexiſse videtur, quando dixit: *Ipſe enim* (hoc eſt Deus) *fines mundi intuetur, & omnia, quę ſub cælo ſunt, reſpicit:* cum Lyranus hęc verba exponens dicat, quod Deus videt omnia tempora, & loca, & omnia, quæ fient in eis, & ſunt facta. *Iob 28. 24.*

Si autem voluerimus intelligere pro Mundo orbem terræ (cum multoties hic per huiuſmodi verbum in Sacra Scriptura ſignificetur) iuxta id, quod nos ſuadere videtur lectio Septuaginta Interpretum, quæ dicit: *Recta habens omnia, quæ in terra*: ex his verbis ſumere poterimus diuiſionem principem, quam ſecundum eandem Scripturam ſortitur Mundus (hoc eſt in cęlum, & terram) quæ ſtatim nobis occurrit initio Sacræ Geneſis, vbi dicitur: *In principio creauit Deus cęlum, & terram:* quam di- *Geneſ 41 45 Matth. 4 8. Marc 14 9* *Geneſ 1. 1.*

diuiſionem notat Lyranus ad illa verba
Pſ 101 Pſalmi: *Initio tu Domine terram funda-*
26. *ſti, & opera manum tuarum ſunt cęli*: aſ-
ſerens, quod per iſta duo intelliguntur
omnes alię creaturæ,& concordat cum
verſione Caldæa eorundem verborum
pſalmi, quæ habet: *A principio, cum crea-*
rentur omnes creaturæ, terram fundaſti:
imo cum ipſomet Deo, qui Exodi vige-
Ex 20. ſimo, de ſe ipſo loquens, ait: *Sex diebus*
11. *fecit Dominus cælum, & terram, & mare,*
& omnia, quę in eis ſunt: quod, cum opti-
me aduertiſſet Eſtius, dixit in principio
Geneſis, nomine cęli, & terræ, intel-
ligenda ſimul eſſe omnia, quæ in eis
ſunt: & nos docet Apoſtolus in prædi-
ctis verbis ad Areopagytas, cum enim
dixiſſet, quod Deus fecit mundum, &
omnia, appellat ipſum Dominum cęli,
& terræ, in hoc ſignificans ipſum totius
mundi Dominum exiſtere.
Pſ. 113 Verum quia Propheta dicit: *Cęlum*
16. *cæli Domino, terram autem dedit filijs ho-*
minum: vbi genitiuum ſuo poſtpoſitum
accu-

accuſatiuo excellentiam ſignificat illius, vt docent Sacri Interpretes: & patet ex illo: *Canticum canticorum:* & ex illo: *Rex Regum, & Dominus Dominantium:* *Ap.19. 16.* necnon ex illo: *Deus Deorum:* ideo propter hanc excellentiam, cuius proprium *Pſ.83. 8.* eſt pluralitatem ſupponere, dicendum omninò erit non vnum tantum eſſe cœlum: quod tamen intelligentes multos, & diſtinctos ponere cœlos non debemus, ita, vt extra illud, quod nobis imminet, ſint plures alij, quorum perfectius ſibiipſi Deus reſeruauerit; hoc enim nimis contrarium eſſet, non ſolum menti, ſed etiam verbis eiuſdem Scripturæ: nam idem Propheta hoc pſalmo, in quo pluralitatem cęlorum ponit, prius dicit: *Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum, & terram:* & ſe accomodat Geneſi ponenti vnam terram, & vnum cęlum, nec. *Pſ.113 15.* non & Euangeliſtæ vnum tantum mundum eſſe dicenti in illis verbis: *In Mundo erat, & Mundus per ipſum factus eſt.* *Io. 1. 10.*

Ita-

Itaque dicendum eſt, quod ſicut moris eſt in Sacra Scriptura eodem nomine appellare partes alicuius rei, quo totum appellatur, vt videre eſt in voce, *terra*, quę non ſolũ partem illam ſignificat Mundi, quam Deus vocauit *aridam*, ſed etiam eius partibus applicatur, & dicitur terra Ægypti, terra Geſſen, Moab, Ephraim, Beniamin, Caldęorum, &c. & in voce *mare*, quæ aquarũ congregationem ſignificans, & ſingulariter prolata in ſupradicto Exodi loco, & alijs pluribus, attamen etiam Mari Rubro, Mari Galileæ, Mari Magno, atque omnibus alijs aquarum congregationibus, ſeu Maris partibus competit: ita etiam nomine cęli appellat partes eiuſdem, quamuis re vera ipſum ſit vnum, quod ſi probare licet ex multis locis, ſatis tamen probatum erit ex hiſtoria Baptiſmatis Chriſti Domini noſtri, & ſpeciatim de-

Matth ſcenſus columbæ illius, cuius formam
3. 16. Spiritus Sanctus aſſumpſerat, quamque
Marc 1. 10. omnis Euangeliſta narrat, ſed cum hoc

inter

inter eos diſcrimine, vt duo primi dicant Luc. 3. 21.
deſcendiſſe de cęlis; poſtremi verò ip- Io. 1.
ſam de cęlo veniſſe; & ratio ea eſt, quia 32.
hi ſcientes vnum eſſe cęlum ſingulari
numero vſi ſunt, illi verò, partes eiuſ-
dem cęli cęlos appellando, pluralem ei
numerum tribuerunt.

Vt omittamus illud Apoſtoli de Chri-
ſto ita loquentis: *Qui deſcendit ipſe eſt,* Ephes.
& qui aſcendit ſuper omnes cælos: quod 4. 10.
minimè repugnat verbis Prophetæ di-
centis: *Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper* Pſ 67.
cælum cæli ad orientem: nam ille omnes 34.
cęlos, ſiue potius omnes cęli partes con-
ſiderat, iſte verò ſupremam partem, &
extremam eiuſdem, cum alias inuita-
uerit Dominum ad aſcendendum ſuper
omnes cęlos, vt patet, ex pſalmis 56.
& 107. in quibus dixerat: *Exaltare ſu-* Pſ 56.
per cælos Deus: hoc eſt ſuper omnes, vt 12.
ex prædictis habetur Apoſtoli verbis, Pſal. 107. 6
non relicto altiori, & remotiori, quod
cęlum cęli ab eodem Dauide appella-
tur.

Tres

Tres eſſe cælos, & in medio horum Solem, & Aſtra contineri. *Caput III.*

CVpientibus autem numerum cęlorum cognoſcere (nam ita nos quoque cęli diuiſiones appellabimus) cōſulendus erit ille, cui adhuc viuo illorum patuit & ordo, & numerus, nam in ſecunda ad Corinthios, ſic loquitur: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſiue in corpore neſcio: ſiue extra corpus neſcio: Deus ſcit) raptum huiuſmodi vſque ad tertium cælum.*

2. Cor. 12. 3.

Quare Cornelius à Lapide ſecutus Theophylacti, & Damaſceni ſentētiam explicat, quod tertium cęlum idem eſt, quod ſupremum, & quod ipſe Apoſtolus inferius *Paradiſum* appellat: primum enim, ſeu infimum dicendum eſt cęlum aëreum, & complectitur omne

2. Cor. 12. 4.

id

id, quod ſupra terram Lunæ ſubeſt; ſecundum, ſeu medium eſt ſydereum, & extenditur à Luna vſq; ad Empyreum; tertium verò eſt Empyreum, vbi ſedes Beatorum, qui & Paradiſus, & locus voluptatis appellatur.

Et ideo Eſtius ad hæc verba: *tertium cælum:* ſcribit hoc eſſe idem, quod Theologi Empyreum vocant, & de quo dicitur: *Angeli eorum in cęlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cęlis eſt:* primum vero aëreum, & nobis proximum, de quo intelligendum eſt, quando dicuntur aues cęli, & nubes cęli; ſecundum autē ſtellarum, ſub quo, vt ipſe ait, non ſolum planetarum orbes, verum etiam totum illud, quod ſupra nubes extenditur, comprehendi affirmandum eſt. *Matth. 18.10.*

Et cōcordat Lyranus vnicum addens verbum, ſcilicet: *Empyreum:* nam hoc erat ſufficiens, cum iam de vnoquoque ſatis verba feciſset in expoſitione pſalmi 103. qui à Dauide, vt de conſtitutione Mundi Deo laudes referret compo-

poſitus, primi, ſecundi, & tertij poſuit diſtinctionem cęlorum; cum enim dicitur: *Confeſſionem, & decorem induiſti:* per decorem intelligitur cęlum Empyreũ; ſic dictum à verbo græco, quod ignem ſignificat, non quod ſit igneum, ſed totum ſplẽdore ignis aliquo modo perfuſum; cũ verò dicitur: *Extendẽs cęlum ſicut pellem:* intelligitur de ſydereo, quod, ad inſtar tentorij, ſupra nos extenditur, cęloque tegitur cryſtallino, quod aqueum appellatur, quia in diaphaneitate per eandem ſimilitudinem cum aquis conueniat, vnde dicitur: *Qui tegis aquis ſuperiora eius:* & ſubditur: *Qui ponis nubem aſcenſum tuum, qui ambulas ſuper pennas ventorum:* vt ea enumerare nobis liceat, quæ in inferiori cœlo continentur.

Stellas autem in medio cœlo contineri facilius erit aſſerere, quam omnibus Sacræ Scripturæ locis in medium adductis probare; ſi enim Deus promiſit Abraham ſe multiplicaturum ſemen

eius

eius,ſicut ſtellas, addidit qualitatem ipſarũ, & dixit: *Stellas cęli*: ſimiliter Chriſtus ſui aduentus pręnũcians prodigia, monuit ſtellas caſuras eſſe,& addidit *à cœlo*: Sapiens autem laudans luminare minus inter cætera ſubnexit, quod ipſa eſt *ſpecies cæli,& gloria ſtellarum*:ex quibus facilè colligitur Lunam, & eſſe in celo vnà cum ſtellis,& ipſis gloriam tribuere,quę omnia planè primo Geneſis congruere patent, nempe Deum poſuiſſe *eas in firmamento cæli* (quod celum ſtellarum, & omnes cœlos illi vicinos complectitur tam inferiores, quam ſuperiores vſque ad Empyreum, vnà cum aëre,iuxta id,quod docet Menochius) *vt lucerent ſuper terram*, quas tamen non ſolas ibi, ſed etiam Solem vnà cum eis in eodem cęlo collocauit, hocque ex eodem capite Geneſis cõfirmatur,in quo habetur non ſolum,quod Deus *dixit* die quarto: *Fiant luminaria in firmamento cęli, & diuidant diem, ac noctem,& illuminent terram*:ſed vlterius

Geneſ. 22. 17.

Matth. 24. 29.

Eccli. 43. 10.

Geneſ. 1. 17.

Geneſ. 1. 14.

Geneſ. 1. 17. optimè probatur, quod *fecit Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeſſet diei: luminare minus, vt praeſſet nocti*; & etiam quod eas *poſuit*, vt diximus, *in firmamento cæli, vt lucerent ſuper terram, & præeſſent diei, ac nocti*.

Neque credendum, eſt has, & præcipuè Solem, poſitas in cęlo inferiori fuiſſe, cum & hoc in firmamento, vt ſupra diximus, comprehendatur; vtque occaſionem hoc opinandi non haberemus, ſcriptum protulit liber Ioſue, vbi notatur ſtatio Solis, de qua ſuo loco dicemus: Ioſue. 10. 13. *Stetit Sol in medio cæli*; quæ verba optimè verſio Maluendæ declarat: *Stetit Sol in medietate cælorum*: ſi enim in medio cęlorum Sol à motu ceſsauit: ergo neque in ſupremo, vti omnes conſentiunt; neque in infimo, quod à medio diſtinguitur, poterat circumferri; quæ animaduerſio mirè iuuat opinionem Abulenſis aſſerentis Solem ſtetiſſe paulò ante occaſum, contra illos, qui ipſa meridiei hora ſtetiſſe affirmant.

Ad-

Addatur etiam id, quod pro eiuſdem Solis encomio cecinit Dauid: *In Sole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: exultauit, vt gigas ad currendam viam: à ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius; nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius:* quod cum rectiſſimè exponatur à Tirino, ideo non incongruum erit, ſi parum immutata eius verba tranſcribemus; dicit autem, quod ſecundum verſionem Caldaicam, & ſecundum S. Hieronymum legendum eſt; *Soli poſuit tabernaculum in eis:* quæ lectio ideo fuit Aquilæ, Symmacho, & Theodotioni accepta, quia clarius id, quod etiam Vulgata per hypallagem ſignificat, oſtendit, nempe in cęlis poſuiſſe Deum tabernaculum Soli (vt notant etiam Lyranus, Menochius, & Haye) qui ſui curſus velocitate exiliens, *vt gigas à ſummo*, ſeu extremo *cœli ad ſummum*, id eſt ad alterum eiuſdem cœli currit extremum; cum non intelli-

Pſ 18. 6.

gendum ſit de ſummo cęli, reſpectu verticis noſtri, ſed reſpectu motus Solis, vt fuſius infra, authoritatem Haye ſecuti, oſtendemus.

Et ideo Salomon in Eccleſiaſte multoties Methonymiæ vſus figura contentum pro continente vſurpans, de Sole
Eccl. 1. 13 pro cœlo loquitur, & dicit: *Propoſui in*
Eccl. 1. 10. *animo meo quærere, & inueſtigare ſapienter de omnibus, quæ fiunt ſub Sole: Nihil*
Eccl. 2. 11. *ſub Sole nouum: Nihil permanet ſub Sole;* & ſimilia, quæ inepta viderentur, niſi intelligentia eorum rationi pateret, quod hæc omnia fiunt ſub loco, in quo habet tabernaculum Sol, & quem ipſe peragrando colluſtrat,

Terram eſſe in medio Mundi. *Caput IV.*

SEd iam ad terram, a qua diſceſſimus reuertamur, & locum, in quo ipſa moratur perquiramus, hic proculdubio medietas eſt vniuerſi, niſi

his

his repugnare velimus, quæ nobis tradita fuere, non ſolum à viris, ſed etiam à mulieribus in Sacræ Scripturæ hiſtoria celebratis: quid enim aliud reſonant illa verba Annæ vxoris Elcanæ, & matris Samuelis: *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem?* Si enim cardines terræ ſunt profundiores partes illius, vt ex Syriaca verſione colligitur, & ſuper iſtas à Deo impoſitus fuit Mundus, in medio poſitam mundi eſſe, quomodo negari poſſit, non video; ſed ipſam videamus verſionem: *Obumbrauit Dominus ima terra, iÿſque orbem impoſuit:* imò audiamus P. Haye, qui in ſua variarum lectionum concordia, ex omnibus illis hoc idem colligendum eſſe demonſtrat: Per hos cardines terræ, inquiens, intelligo ipſam terræ ſtabilitatem, & firmitatem, quæ ponderibus librata ſuis, tamquam centrum in medio mundi immota exiſtit, & omnia velut baſis fulcit, & ſuſtinet; vnde quidam verterũt: *Columnæ terræ* quæ autẽ a lia

1.Reg. 2. 8.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

columnæ terræ fingi poſſunt, quam terræ pondera? alijs *Fortitudines*; ſeu; *Vires terræ*, quaſi hæc terræ pondera ſint quædam veluti munimenta, quibus ipſa aduerſus externas incurſiones ſtabilitur, ne à loco ſuo conuellatur.

Non ſolum autem hoc mulieres, ſed etiam viri, & horum ſapientiſſimus Salomon nos docuerunt; iſte enim aliquando pro ſapientia loquens, quam ipſimet Deo coæuam fuiſſe aſſerit, dicit; *Prou. 8. 26.* *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ:* nam etiamſi Maluēda loco verbi: *Cardines*: legat: *Extranea*: & Vatablus; *Fines*, aut *extremitates*; quæ iuxta Lyranum, & Menochium, ſunt quatuor præcipuę orbis terræ partes, videlicet Oriens, Occidens, Meridies, & Septentrio; attamen, vt Vulgatæ inhæreamus, & ab ipſius authoritate ne latum vnguem recedamus, vnà cum iiſdem Lyrano, & Menochio pro cardinibus orbis terræ duo poli, circa quos cęli rotantur, erunt intelligendi; quare cum

cum terræ cardines ſint ijdem, qui mūdi,
dubitandi occaſio non remanet vtrum
terra in Mundi medio ſit collocata:
cardines autem cœli eſſe polum Arcti-
cum, & Antarcticum docet Menochius
ad illa verba Deuteronomij: *Si ad car-* Deut.
dines cęli fueris diſſipatus, inde te retra- 30, 4.
het Dominus Deus tuus.

Sed ſi ijdem ſunt cardines cœli, qui
& terræ, eadem ſunt fundamenta terræ,
quæ & cœli, vt nos docent verſio Cal-
dęa, & Montanus in lectione verborum:
Commota eſt, & contremuit terra, funda- 2. Reg.
menta montium concuſſa ſunt, & con- 22. 8.
quaſſata: dicunt enim: *Fundamenta cęlo-
rum expauerunt, & deſecta ſunt:* atque
idem colligitur ex pſalmo 88. qui ha-
bet: *Tui ſunt cœli, & tua eſt terra: or-* Pſ 88.
bem terræ, & pulchritudinem eius tu fun- 14.
daſti: nam, etſi verba hæc à Diuina po-
tentia fundatam fuiſſe terram affirment,
attamen ſignificant etiam quod ea, quę
futura erant fundamenta terræ, iacta
fuerunt à Deo, vt vniuerſi orbis funda-

menta eſſent; prout nos docet verſio Apollinaris Epiſcopi, quæ ſic habet: *Cœli etiam, & terræ poſſeſſio ſunt iuſſionis tuæ, rotundi manibus poſuiſti fundamenta mundi:* necnon & verſio Syriaca paucis hoc nobis aperit verbis: *Orbem tu præparaſti:* nam excludēs dictionem: *Terræ:* oſtendit hæc fundamenta eſſe & terræ, & cœlo, cum ſint orbis vniuerſi, communia.

Vnde Menochius in pſalmo 103. Pſ. 103. 5. verba exponēs: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam:* declarat illam ſtabilitatem, dicens: *in ſua baſi, & ſede, quod eſt centrum Mundi:* nec recedit ab expoſitione Lyrani, qui iam ſcripſerat ad verba: *Qui fundaſti* quod ſicut fundamentum eſt inferior pars domus, ſic terra eſt inferior pars machinæ Mundi, & ad verba: *Super ſtabilitatem ſuam:* addiderat: *Ideſt centrum Mundi, ad quod vndique tendunt naturaliter partes terræ:* & rationem huius dicti hanc fuiſſe aſſeruerat, quia illa ſubduntur verba: *Non inclinabi-*

nabitur in ſeculum ſeculi: & propter hoc ad illa Salomonis: *Deus ſapientia fundauit terram, & ſtabiliuit cælos prudentia*: Prou. 3. 19.
quæ à verſione Caldæa leguntur: *Poſuit fundamenta terræ*: addidit, quod Salomon ita locutus eſt, quia terra eſt centrum Mundi ſenſibilis.

Neque mirandum eſt, ſi illi viri talia ſcripſerunt; cum enim Sacræ Scripturæ peritiſſimi eſſent, illud Iob meminerant: *Quando fundebatur puluis in terra, & glebæ compingebantur*: quod à verſione Caldæa legitur: *Quando poſita eſt terra in fundamento*: & à Pagnino vertitur: *Nunquid noſti, dum roboraret terram in medio centri, & partes eius coniungerentur?* imò laudabimus eundem Lyranum ad illa Zachariæ Prophetæ verba: *Dicit Dominus extendens cælum, & fundans terram*: addentem hoc: *Quia nihil eſt ſub ea, cum ſit infimum elementum*: & ad illud pſalmi: *Initio tu Domine terram fundaſti*: hoc: *Et dicit fundaſti, quia terra eſt centrum Mundi*: & tandem ſi notat, quod

Iob. 33. 3.

Zach. 12. 1.

Pſ. 18. 26.

quod dicitur terra appenſa ſuper nihilum, quia non habet inferius elementum, & ſic ſtat in medio Mundi tanquam centrum, per naturam ſuam à Deo ſibi datam, ad illa verba Iob loquentis de
Iob 26. 7. Deo, & dicentis: *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum:* cum ad hoc non ſolum Pagnini verſio, qui efficacius id exprimere volens legit: *Suſpendit terram ſuper nihilum:* ſed eum pariter impellat Caldæa, habens: *Subleuat terram nullo eam ſuſtinente.*

Idem ex alijs ſcripturæ locis confirmatur. Caput V.

EX iam dictis probatum eſt terram eſſe in medio Mundi, qui locus, cum ſit infimus reſpectu ad cœlum, quod ſemper ipſi terræ ſupereſt, efficit, vt ipſa dicatur eſſe deorſum, & in profundo loco, prout patet ex illo Prouer-

uerbiorum: *Cęlum ſurſum, & terra deorſum*: cum à Septuaginta legatur: *Cęlum excelſum, terra autem profunda*: & patet ex illis verbis in Ioſue: *Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus in cęlo ſurſum, & in terra deorſum*: necnon ex verbis Principis Apoſtolorum calumniam retundentis eorum, qui impartitum diſcipulis donum linguarum, ebrietati, & non Spiritus Sancti gratiæ tribuebant; oſtendendo hoc iam prænunciatum fuiſſe à Ioele Propheta, & eius prædictionem referendo, in qua, præter cætera, hoc habetur: *Dabo prodigia in cęlo ſurſum, & ſigna in terra deorſum*. *Prou. 25. 3* *Ioſ. 2. 11.* *Act. 2. 19.*

Et ideo Septuaginta legerunt illa verba Iob: *Qui commouet terram de loco ſuo*: ita: *Qui commouet eam, quæ ſub cęlo*: quia idem eſt dicere terram eſſe in loco ſuo, & eſſe ſub cœlo; quod aduertens Lyranus exponit hunc locum, & dicit, quod Deus non cõmouet illam ſecundum ſe totam, cum ſit centrum mundi, ſed ſecundum aliquas eius partes, vt *Iob 9. 6.*

alias

alias diximus, & ideo Haye aſſerit hæc verba ſignificare, quod Deus eſt, qui terram omnino deſtruere, vel à centro mundi, in quo reperitur, remouere poteſt.

Et Salomon in Eccleſiaſte, loquens de ijs rebus, quæ in terra fiunt, duodetricies dixit illa fieri ſub Sole, & ratio eſt, quia idem eſt dicere rem eſſe in terra, & eſſe ſub cœlo, vel ſub Sole, vt patet nõ ſolum ex his, quæ diximus, ſed etiam ex verbis eiuſdem Salomonis loquentis de conſuetudine, quam habent omnes homines fauendi iuueni futuro regi, derelinquendo ſenem adhuc regnantem; Eccl 4. 15. *Vidi cunctos viuentes, qui ambulant ſub Sole cum adoleſcente ſecundo*(hoc eſt modo ſecundo in dominio regni) *qui conſurget pro eo:* vbi dicit illos ambulare ſub Sole, cum ſint in terra, & intelligendum ſit illos ambulare ſub cœlo.

Quæ verba concordant cum illis, quæ Deus ad Moyſem habuit, & iſte populo retulit, in quibus Deus pro-

promiſit ſe immiſſurum terrorem in omnes populos, tali pacto: *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant ſub omni cęlo*: & cum illis, quæ idem Deus dixit de aſtris cœli, nempe, quod illa *creauit Dominus Deus in miniſterium cunctis gentibus, quę ſub cęlo ſunt*: & omnia cum oſtendant homines terram habitantes eſſe ſub Sole, & ſub cœlo, nos docent terram ipſam in loco inferiore ipſis eſſe poſitam. Deut. 2. 25. Deut. 4. 19.

Cum autem in Geneſi iuxta Moyſis narrationem haberetur, quod Deus creans luminaria dixit: *Fiant luminaria in firmamento cęli*; ibi à Septuaginta additum fuit: *Ad illuminationem ſuper terram*: quos ſecutus poſuit Procopius: *Vt prębeant lumen ſuper terram*: quæ additio facta ab illis fuit, prout etiam à verſione Samaritana, ad maiorem intelligentiam, vt notat Haye; quod nos docet tam doctrina, & pietate claros viros pro nō dubio ſumpſiſſe Gen. 1. 14.

ter-

terram, vti in centro Mundi, eſſe infra cœlum, & luminaria, & ab ipſis, vti ſuperioribus, lumen quodcunque percipere.

Sed ne recedamus à puris putis Sacrę Scripturæ verbis, audiamus Dauidem, qui laudans Deum propter accepta be-
Pſ. 102 11. neficia canit: *Quoniam ſecundum altitudinem cęli à terra corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe*; vbi, volens oſtendere magnitudinem diuinæ miſericordiæ, propoſuit pro termino ſupremo cęlum, pro infimo autem terram; quod nō feciſſet, ſi aliud, quàm cęlum, & terra in ſuperficie, & centro Mundi reperiretur; nam rectæ lineæ ab altero ad alterum ductæ eſſent inæquales, & ſimilitudo indecora; imò credendum eſt Prophetam, ponendo diſtantiam cęli à terra, ponere voluiſſe diſtantiam centri à circumferentia, cum, in ſequenti verſu addens: *Quantum diſtat ortus ab occidente longè fecit à nobis iniquitates noſtras*: auxeſi vſus figura in diuina bene-

ficia amplificando, ſumpſerit diſtantiam ab vna parte ſuperficiei ad aliam ei oppoſitam, quæ eſt maxima omnium, quæ dari poſſint in orbibus.

Imò videamus, quid ſibi velint illa verba, quæ ipſemet Deus habuit de turbine ad ſapiētiſsimum ſeruum ſuum Iob, cuius proprium fuit inuoluere ſententias ſermonibus imperitis, nempe: *Quis poſuit menſuras eius ſi noſti? & quis tetendit ſuper eam lineam?* & videbimus illa pertinere ad fundationem terræ, quam ita in centro Mundi Deus collocauit, vt ſi Deus linea vſus fuiſſet in cōſtituenda ipſa, perfectius agere non potuiſſet; ideo verſio Caldæa legit: *Quis extendit perpendiculum:* Biblia verò Tigurina habēt; *Quis eam ad regulam extruxit:* Aquila autem: *Funiculum menſuræ:* Symmachus: *Canonē, & regulam:* & alij: *Quis amuſſim tetēdit:* legentibus Septuaginta: *Quis induxit ſuper eam funiculum*: qui omnes oſtēdunt ipſam in loco tali eſſe collocatam, vt ſi adhiberetur

Iob 38 5.

funi-

ſuniculus menſorius, ad ipſam ſemper à qualibet parte cęli, eadem proportione, tenderet, vt colligitur ex notatis per Haye, Menochium, & Tirinum.

Pro coronide tandem ſcrutemur illa verba Iſaiæ loquentis de Deo, & dicen-
Iſ 40. 22. tis, quod ille eſt, *qui ſedet ſuper gyrum terræ:* & videamus, quid ſibi velint, & ſi figuratè prolata; & percipiemus, quod duplex ſenſus poteſt illis ineſſe, primus, quod Deus ſedet ſuper *gyrum terræ,* hoc eſt ſuper globum ipſius, vt ſignificare volunt verſiones Pagnini, Ariæ, Forerij, & Maluendæ, cui expoſitioni conſentire videtur Lyrani adnotatio, quæ eſt, quod ſedet ſupra *gyrum terræ*, tanquam princeps terrenus, & conferunt verba ſequentia, quæ dicunt: *Habitatores eius,* nempe terræ, *ſunt quaſi locuſtæ:* nam poſito, quod Deus ille, qui Deus maieſtatis appellatur, ſederet ſupra terram, abſque dubio homines cuncti, quaſi locuſtæ in comparatione illius viderentur: alter vero ſenſus eſt, quod

Deus

Deus ſedet ſuper gyrum illum, qui terræ imminet, cui fauet Caldæus legens: *Qui habitare fecit maieſtatem gloriæ ſuæ in fortitudine excelſa:* & Menochij annotatio dicens: *Qui ſedet, ideſt, qui præſidet, & gubernat mundum*: Imò, & ipſe Iſaias, inferius proclamans: *Hæc dicit Dominus: Cęlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum:* quod ſi volumus primam expoſitionẽ amplecti, habebimus argumentum pro immobilitate terræ, quod ſuo loco conſiderabimus; ſi autem ſecundam, aderit non incongrua probatio ad ea, quæ aſſeruimus; ſi enim totum cęlum inſeruit Deo pro ſede, ne quid inconueniens admittamus, dicendum erit, terram, quæ ſcabellum eſt pedum eius, in medio eſſe, & ab omni parte ęquè diſtare. *Iſ. 66. 1.*

Inferos in terræ medio contineri.
Caput. VI.

DIximus cęlum imminere terræ, imò ipſam ad inſtar circuli ambire; itaut vniuerſi orbis fines in ipſo contineri licitum ſit dicere: neque de hoc dubitandum eſt, cum in libro Eſther ipſa ad Deum clamitans
Eſther 13. 10. ita fateatur: *Tu feciſti cęlum, & terrã, & quicquid cęli ambitu continetur*: quare ſi probauerimus locum inferorum, nempe illum, ad quem animæ damnatorum à Deo mittuntur, eſſe infra terram, hoc non parum vrgebit ad confirmandum terram in medio mundi poſitam eſſe.

Locum autem inferorum eſſe illum, ad quem animę omnes ante Chriſti aduentum tendebant, nos docet, in pſalmo
Pſ. 88. 49. Propheta, dicens: *Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi?* quibus verbis primo

mò Propheta oſtendit mortem à nemine euitari poſſe, ſecundò deſcenſum ad inferos omnibus vſque ad Saluatoris aduentum; & ideo ſubdit: *Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ Domine, ſicut iuraſti Dauid in veritate tua?* & poſt hæc ſubiungit: *Memor eſto Domine opprobrij ſeruorum tuorum;* de quo opprobrio conqueritur vſq; ad finem pſalmi; quocirca Lyranus ad illa verba: *Eruet animã ſuã de manu inferi;* addit: *Nullus pro tempore illo, in quo omnes deſcendebant in infernum, quantumcumque iuſti, quod tempus durauit vſque ad redemptionem, factam per Chriſtum, ipſimet Dauid promiſſam;* necnon, illi, qui apud ſe rectè non cogitabant, vt ait Salomon, quando dixerunt, quod *non eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis;* imò & Sapiẽs nos ad ſedulam operationem bonorum operũ exhortans, & ſcribẽs; *Ante obitum tuum operare iuſtitiam: quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum:* nos docent idem, quod prius à Dauide dictum fuerat.

Sap. 2. 1.

Eccli. 14. 17.

Eſse autem locum illum impijs hominibus deſtinatũ nobis oſtẽdunt verba illa Artaxerſis Regis in libro Eſther :
Eſther. 13. 7. *Vt nefarij homines, vna die ad inferos deſcendentes, reddant imperio noſtro pacem, quam turbauerant* : atque apertius verba Sapientis :
Eccli. 21. 11. *Via peccatorum complanata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*; nam ſi de primis poteſt intelligi quod nefarij, & ſceleſti homines deſcendentes ad inferos, hoc eſt morte cadentes in ſepulchrum, reddunt viuentibus pacem, quam turbauerant; ad hæc talis interpretatio non pertinet, nam cum inferno per ipſa tenebræ, & pœnæ peccantibus indicuntur, quas alibi, quàm in ſepulchro perpeti neceſse eſt; vnde quando Iob adul-
Iob 24. 19. teri peccata perpendens exclamat: *Vſque ad inferos peccatum illius* : Significat, quod peccatum trahet, non ſolum adulterum, ſed etiam cæteros peccatores ad pœnam gehẽnæ, vt notant Lyranus, Menochius, & Tirinus; ita pariter,

cum

cum Salomon in prouerbijs de muliere peccatrice loquitur, quod: *Inclinata eſt ad mortem domus eius, & ad inferos ſemita illius*: oſtendit doctrinam, & opera eius (quæ ſignificantur in ſemita, vt docet Lyranus) ducere ad mortem gehennæ, teſtibus ijſdem, quorum primi idem monitum faciunt in verbis præfati Salomonis de meretrice: *Via inferi domus eius penetrantes interiora mortis.* Prou. 2. 18. Prou. 7. 27.

Et iure merito, nam ſatis clarè colligitur ex verbis eiuſdem, qui de hominibus tantum malis operibus incumbentibus, & toto vitæ curriculo Deum contemnentibus clamat: *Corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita ſua*: quibus poſtea, vt notat Haye, comminatur pęnam inferni ſubdens: *Poſt hæc ad inferos deducetur*: quod profectò non eſt intelligendum de ſolo ſepulchro, cum iam opinionem, quam capite tertio propoſuerat, infra capite duodecimo falſam eſſe oſtendat, dicens: *Reuertatur puluis in terram ſuam, vnde* Eccl. 9. 11. Eccl. 12. 7.

 erat,

erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum: quod pariter ex verbis Iſaiæ colligitur, cum enim contra Regem Babylonis dicit: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum:* oſtendit pęnam illatam corpori per caſum, & pęnam illatam animę per deſcenſum ad inferos: imò ex verbis eiuſdem Salomonis, qui, vt ſupra adnotauimus, proponens damna prouenientia ex commercio malarum mulierum aſſerit hoc, nempe, inſipiens *ignorauit, quod ibi*(hoc eſt in domo eius)*ſint* dęmones appellati *gigātes, & in profundis infernicōuiua eius:* vbi addidit verba: *In profundis inferni:* vt intelligeretur, poſt ſocietatem cum ipſis initam, homines rapi à dęmonibus, & non in ſepulchrum, ſed in locum pęnæ æternæ transferri.

Iſ. 14. 11.

Prou. 9. 18.

Et ideò Sapiens enumerans beneficia à Deo accepta, ait: *Vita mea appropinquās erat in inferno deorſum:* vel, vt legūt Biblia Complutenſia: *Erat propè infernum infimum:* quaſi dicat, iuxta ſententiam

Eccli. 51. 8.

tiam Haye: *Quamdiu viuam, laudabo Dominum: &*, ideſt, quia, *cum iam eſſem in limine mortis, & inferni*: ipſe, præ infinita ſua miſericordia, inde me eripuit.

Quod autem locus iſte ſit infra terram nos docet ille, qui conſtructionem Mundi, ita perfectè calluit, vt pluribus pſalmis potuerit ipſius ſummum opificem congruis laudibus exaltare; dicit enim de peccatoribus cupientibus ipſum interficere: *Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam: introibunt in inferiora terræ*: quæ verba D. Hieronymus ita legit: *Interficere quærunt animam meam, ingrediantur in extrema terræ*: quare Eſtius notat illum, hæc verba (quę de hoſtibus ſuis dicit Propheta) vertere imprecatiuè, vt ſenſus eorum ſit; introeant in extrema terræ, ideſt moriantur, & pereant: hoc autem non eſt ſimpliciter intelligendum de morte naturali, & ſepulchro; cum illud, vt optimè aduertit Haye, non ſit inferior, vel extrema pars terræ: ideo Tirinus, Menochius, & *Pſal. 62.10.*

Lyranus exponunt: *Inferiora terræ*: ideſt gehennam; cum illa ſit in inferioribus partibus eiuſdem, vt iſte in ſua annotatione ſubiungit.

Quæ expoſitiones inniti videntur verbis eiuſdem Dauidis exclamantis, ac admirantis diuinam benignitatem, & in
Pſ. 85. 13. hæc verba erumpentis: *Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori* (quæ tamen vltima verba à S. Hieronymo leguntur: *De inferno extremo*: & à verſione Arabica: *De profundo inferni*) nam etſi aliqui exponant, vt docet Lyranus, per hunc infernum foueam ſepulturæ, à qua liberatus fuit Dauid per diuinam miſericordiam, quando Saul iuſſit cuſtodiri domum eius in nocte, vt mane occide-
1. Reg. 19. 11. retur; cuius rei hiſtoria habetur 1. Reg. attamen, quia ſermo eſt de inferno inferiori, & eius extrema, & magis profunda parte; ideo intelligendum eſt de pœna damnationis æternæ, quæ iam ipſi debebatur pro occiſione ſacerdotum

Nobe, cuius ipſe fuit in culpa, & eius confeſſio ad Abiathar oſtendit; nam ita locutus fuit: *Sciebam in die illa, quod cum ibi eſſet Doegh Idumæus, proculdubio annunciaret Saul: ego ſum reus omnium animarum patris tui*: quod aduertens Eſtius notat Dauidem ideo peccaſſe, quia, præſente Doegh, non debebat petere publicè à Sacerdote oraculũ, & gladium, ſed occultiſſimè: & ideo, quia reuelatum fuit ei, quòd illud peccatum à Deo ſibi erat relaxatum; propterea gratias agens, dixit; *Quia miſericordia tua &c.* deinde petijt, ſicut liberatus fuerat à malis præteritis, ita etiam liberari à futuris, prout eiuſdem verba oſtendunt, vſque ad finem pſalmi. 1. Reg. 22. 22.

Ad idem aliæ probationes. *Caput VII.*

VT authoritati patris coniungeretur aliqua ſententia filij, poſſemus in medium afferre verba

Sap. 1. 14. verba Salomonis dicentis: *Nec inferorum regnum in terra:* quæ ſignificant dæmones habitantes in inferioribus partibus terræ non habere ius ſupra terram; ſed illa omittemus, cum ſufficiat afferre hiſtoriam Core, Dathan, & Abiron, de quibus, cum murmurauiſsent contra Moyſem, Scriptura ait, quod *dirupta eſt* Num. 16. 31. *terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum: deſcenderuntque viui in infernum, operti humo:* niſi enim hoc loco ſignificaretur etiam mors animæ, & damnatio in gehennam, non opus fuiſſet addere: *Deſcenderuntque viui in infernum:* quem & eſse in medio terræ oſtendunt ſubſequentia verba: *Operti humo.*

Idem etiam nos docent verba illa Iſ. 14. 9. Iſaiæ Prophetæ: *Infernus ſubter te conturbatus eſt in occurſum aduentus tui:* non enim dixiſset: *Subter te:* niſi infernus eſset in profundo terræ; quod optimè aduertit Lyranus; & idem oſtendit Iob do-

docens ab homine comprehendi non poſſe Deum, & illius opera, ac dicens: *Excelſior cœlo eſt, & quid facies? Profundior inferno, & vnde cognoſces?* Iob 11. 8. Quibus verbis eleganter, vt teſtatur Haye, oſtendit Propheta hominem non poſse illius cognitionem aſsequi, cum altius cœlo aſcendere, & infra infernum deſcendere non poſſit, & tamen ipſe Deus intra hos limites non continetur: quare, ſi cœlum pro extremo in altitudine, & infernus pro extremo in profunditate in hoc Scripturæ loco ponitur, fatendum erit, quod iſte ſit infra terram, quam deorſum eſse, & in profundo loco immorari iam demonſtrauimus.

Sed coronidem imponit S. Paulus in illis verbis, quæ de Chriſto ad Epheſios habet, nempe: *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Epheſ. 4. 9. nam etſi poſſint intelligi de incarnatione Domini, quæ dici quodammodo poteſt deſcenſus in inferiores partes terræ, cum partes cor-

poris

poris humani, quod terra eſt, ſint infe-riores, reſpectu aliarum partium Mun-di, vt notat Lyranus; attamen intelli-genda ſunt de Chriſti deſcenſu in infe-riores partes terræ, hoc eſt ad infima eiuſdem loca, vt inde arguamus altitu-dinem humilitatis eius, & credamus ip-ſum perueniſse ad Limbũ Patrum, qui infra terram erat (vt iam probauimus) ad hoc, vt conſolaretur ſuos, & vt ſimul plenius oſtenderet id, quod ſtatim Apo-ſtolus ſubiungit, nempe Chriſtũ imple-uiſse omnia; & hæc ſentẽtia inter alios fautores habet Sanctum Hieronymum, & Sanctum Ambroſium, quorum digni-tas, quamuis ſumma, attamen aliquid augumenti percipere videtur ex ver-ſione Arabica, quæ expreſsè loquitur de profundioribus locis terræ, & ait: *Dicere autem aſcendit, quis eſt? niſi qui prius deſcenderat in infimas profundi-tates partium terræ.*

Et idem Apoſtolus nonne hoc docuit quando ſcribens ad Philippenſes, ita lo-

locutus fuit? *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cęleſtium, terreſtrium, & infernorum?* Nam in his verbis ordinem rethorices, prout ſapientiſſimum virum decebat, ſeruans, prius proponit cœleſtia, tanquam nobiliora, & Deo proximiora, deinde terrena, poſtmodum inferna, hoc eſt illa, quæ ſubterranea dicuntur græcè, & in verſione Arabica, quæ habet: *Eorum, qui ſunt ſub terra*: & certè intelligenda ſunt hæc verba Apoſtoli de ſpiritibus, non autem de corporibus, cum de illis dixerit Ezechias: *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam*: vel, vt à Pagnino legitur: *Non corpus in ſepulchro cōfitebitur tibi, neque corpus mortuum laudabit te, nec ſperabunt corpora deſcendentia in ſepulchrum:* & ideo ille etiam ante Pontificatum doctrina, & moribus inſignis, poſtea verò, vt teſtatur Platina, cum in quouis genere vitæ probatiſſimus fuierit, dignus, vt inter ſanctos Pontifices

Philip. 2. 10.

Iſ. 38. 18.

cen-

cenſeretur, Innocentius, inquam, tertius, putauit pro infernis ſignificari animas, quæ in infernis locis purgantur, quas nulli dubium eſt charitate non deſtitutas in nomine Ieſu cum omni humilitate genuflectere; fundamentum autem huius interpretationis habetur in illis verbis Apocalypſis: *Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, omnes audiui dicentes: Sedēti in throno, & agno benedictio, & honor, & gloria*; quæ verba illis ſolum animis, quæ in purgatorio exiſtunt conuenire compertum eſt, cum dæmones, & damnati Deum glorificare non intendant, vti ab ipſo auerſi; quæ interpretatio, quamuis ſit pia, & à nemine improbata, vti illa Origenis, qui falsò credidit aliquando futurum, vt dæmones, omneſque damnati per ſalutarem pœnitentiam correcti, Chriſto ſubiiciātur; attamen communis expoſitio interpretum vult ſignificare per inferos dæmones, cæteroſque damnatos in inferno degentes, qui ſubiici

Apoc. 5. 13.

bijci

biici debeant ipſimet Chriſto, ſubiectione, per nomen genuflexionis ſignificata, non ſpontanea, qualis eſt illa cęlitum, ſed coacta ita, vt reſiſtere non poſſint.

Si ergo locus damnatorum dicitur infernus, & infra terram continetur, vt probauimus, & ſatis patet ex vltimo relatis verbis Apocalypſis, quæ habent alias creaturas eſſe in cœlo, alias ſupra terrã, & alias ſub terra, & omnes has, & loqui, & laudare Dominũ; quod ſignum eſt ipſas eſſe anima rationali præditas, *Apoc. 5. 13.*
probatum ſatis erit terram, quæ in ventre ſuo huiuſmodi locum habet, eſſe in inferiori parte Mundi, & conſequenter in medio vniuerſi orbis.

Cælum Empyreum non moueri, aëreum verò alterationibus obnoxium eſſe. Caput VIII.

IAm inuentus eſt locus terræ, modò videamus quid circa ipſam moueatur, vt poſtea eius firmitudinem probare poſſimus; mouetur autem cœlum vnà cum Sole, Luna, & Stellis; cœlum dixi, ſed de ſtellato tantum intelligendum eſt; nam de primo nulla habenda eſt cõſideratio, cum illud ſubiectum continuis alterationibus irregulariter moueatur, neque de tertio, cum hoc nullo pacto moueri indubitatum ſit.

Hoc enim eſt illud, quod cęlum cęli, cęlum Empyreum, & tertium cęlum appellatur, & eſt illud, quod *Locus habitaculi Dei* à Salomone in templi conſecratione appellatum fuit, & eſt idem, quod ſedes Dei appellatur, & in quo permanet verbum diuinum, qui eſt Chriſtus, & à quo ipſe deſcendit, &

3.Reg. 8.30.

in

in quod idem aſſumptus eſt; quod & habitatio eſt Angelorum (qui à Michęa,& ab Eſdra Prophetis ideò exercitus cœli appellantur) de quo cecidit Lucifer, & à quo deſcendit Vigil, & Sanctus viſus à Daniele, & vbi Propheta teſtatur, quod ſunt gloria, veritas,miſericordia, ſapientia, & omnia alia Dei attributa; vnde nobis auxilium ſperandũ eſt; & in quo tandem gloriabatur Apoſtolus eſſe conuerſationem ſuam. Dan. 4. 10.

Et hoc non mouetur, vt nos docent verba Dauid: *Commoueatur à facie eius omnis terra; ipſe enim fundauit orbem immobilem*: quæ verba dupliciter intelligi poſſe dicit Lyranus; primò, quod non mutabitur orbis de eſſe ad non eſſe, cum æternum ſit duraturus, & ſecundum hoc poteſt dici immobilis; ſecundò,quod licet in aliquibus partibus orbis ſit motus localis, vt in elemẽtis,mixtis, & orbibus cœleſtibus; attamen cœlum Empyreum,quod eſt ſupremus orbis, & terra, quæ eſt circa centrum,ſunt 1 Paralip. 16 30.

immobiles, & per hoc habet orbis eandem immobilitatem ſecundũ totũ, licet aliquæ eius partes moueantur.

Et ideo Menochius ad illa verba Ioel 2. 10. Ioel Prophetæ: *A facie eius contremuit terra, moti ſunt cæli*; aſſerit hanc eſſe hyperbolem, deinde ſubiungit; *Ipſum cælum concuti viſum eſt*: & idem repetit Ioel 3. 16. ad verba eiuſdem Prophetæ; *Mouebuntur cæli, & terra*: ſubdens, quod omnis rerum natura quodammodo trepidabit in die iudicij, terrore vocis Domini tremendæ, vt explicat Diuus Hieronymus; deinde afferens aliam expoſitionem, notat quod cęli, ideſt, Angeli, & terra, ideſt, homines obſtupeſcent tam inſolita videntes; Lyranus verò dicit, quod cęli mouebuntur, hoc eſt aperientur ad receptionem iuſtorum, terra autem ad receptionem reproborum, vt in infernum deſcendant; cum Hugo de Sancto Victore putet, quod re ipſa cęlum, & terra illa die contremiſcent, quorum ſententiæ non ideò ponunt, quod mo-

ueą-

uecatur; ſed potius faciunt ad probandum vnà cum alijs eiuſdem cęli immobilitatem; cum iſte intelligat trepidationẽ cœli ſignificari in Sacra Scriptura per motum, prout etiam trepidatio terræ: ille verò per motum cœli, & terræ aperitionem eorumdem.

Et huius interpretatio optimè conueniet verbis Dei ad Aggęum Prophetam: *Loquere ad Zorobabel Ducem Iuda, dicens: Ego mouebo cęlum, & terram:* nam cum verſio Syriaca, & Pagnini oſtendant, vt alias diximus, per hunc motum ſignificari concuſſionem, & trepidationem, arguere non incongruum erit motum, quem cęlum habebit, & quo nunc caret, non alium futurum, niſi trepidationem, iuxta mentem Hugonis Victorini, quę, niſi aliud fundamentum haberet, illi ſufficerent verba Salomonis oſtendentis, quod Deus firmam reddidit terram, & ſtabile cęlum, quando hæc pronunciauit: *Deus ſapientia fundauit terrã, & ſtabiliuit cœlos prudentia.*

Aggæi 2. 22.

Prou. 3. 19.

Sed quia adeſt clara ſententia Apoſtoli, ideò hìc ipſam repetemus; ait enim: *Cuius vox* (hoc eſt Dei) *mouit terram tunc, nunc autem repromittit dicens; Adhuc ſemel, & ego mouebo non ſolum terram, ſed & cælum*: quæ verba, cum debeant de cōcuſſione intelligi, vt nos docet verſio Arabica habens: *Terram concuſſit: certè concutiam ego altera vice adhuc, non ſolum terram, ſed & cęlum:* non ſolum nobis oſtendunt, quod aliquando hoc cœlum mouebitur concuſſione vnà cum terra; ſed, quod magis ad rem facit, ipſum cęlum nunquam motum fuiſſe, quod terræ pluries contigiſse notum eſt.

Hebr. 12. 26.

De cęlo autem primo, quod & cęlum aëreum appellatur, & quod pluere dicitur, nubes, & alia meteora habere, tenebreſcere, ventos producere, & de quo intelligendum eſt, quando in Geneſi ponitur cataractas cœli apertas fuiſſe, vt diluuium ſuper homines mitteretur; & dę quo intelligendum eſt, quando

Gen. 7. 11.

do ibidem narratur Deum ſuper quin- Gen. 19 24.
que vrbes immiſiſse ſulfur,& ignem, &
quando in Ioſue pariter recenſetur ip- Ioſ. 10. 11.
ſum lapides ſuper Reges Ammorrhęorum pluiſſe, & de quo etiam intelligendum eſt, quando dicitur, quod Deus in deſerto degentibus panem de cœlo dedit; ſufficiet referre id, quod habetur in ſecunda epiſtola Diui Petri, vt oſtendamus ipſum, vti ſubiectum continuis alterationibus,& motui inordinato elementorum,& mixtorum,non eſſe in caſu noſtro attendendum.

Dicit autem iſte Apoſtolus in capite tertio prædictæ epiſtolæ, dum refellit opinionem Gnoſticorum, quod certè veniet dies iudicij, in quo purgabitur Mundus, nempe cęlum, & terra, & ea, quæ ſupra terram ſunt,& vtitur his verbis:
Per quæ ille tunc Mundus aqua inun- 2. Petr.
datus perijt: Cœli autem, qui nunc ſunt, 3. 6.
& eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum: quibus paulò inferius

2.Petr. 3.10. ſubiungit: *Aduenìet autem dies Domini, vt fur, in quo cęli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur, terra autē, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur:* quę omnia oſtendunt hoc cęlum vnà cum elementis vi ignis diſsoluendum eſſe; prout notauit Beda; qui de hoc ita loquitur: *Cuncta elementa, quibus Mundus iſte conſiſtit, ignis ille maximus abſumet; nec tamen in totum conſumet, vt funditus non ſint; ſed duo in totum conſumet, ignem, & aquam, duo verò in meliorem reſtituet faciem:* quæ expoſitio, quamuis omnibus non placeat, ſufficit tamen, iuxta propoſitum noſtrum, ad eliciendum ex hoc loco, quod in cęlo inferiori fiunt alterationes, quarum maxima ab igne aduenìet in die iudicij, maxima verò ab aqua iam euenit tempore vniuerſalis diluuij, vt ex prædictis verbis apertè colligitur.

Cæli

Cæli Stellati proprium eſſe moueri. *Caput IX.*

SEd iam tranſeamus ad cœlum ſtellatum,cum de alijs in propoſito noſtro, fruſtra ſit quærere; in hoc autem contineri Solem, Lunam, & Stellas quamuis clarè pateat ex iam dictis;attamen non incongruum erit afferre verba Deuteronomij, in quibus dicit Deus: *Ne fortè eleuatis oculis ad cælum videas Solem, & Lunam, & omnia Aſtra cæli, & errore deceptus adores ea:* nam in his, poſtquam Deus ſermonem habuit de eleuatione oculorum in cęlum,aſſeruit in illo conſpici poſſe Solem,& Lunam, & Stellas, quæ omnia in cœlo eſſe, & ibi poſita fuiſſe ab eodem in miniſterium hominum, vt colligitur ex ſubſequentibus verbis: *Et colas,quæ creauit Dominus Deus tuus in miniſteriũ cũctis gentibus,quæ ſub cælo ſunt.* Deuter. 4. 19.

Quod autẽ hoc moueatur docet Iob:
Iob 38. 33. *Nunquid noſti ordinẽ cæli,& pones rationẽ eius in terra?* Nam Septuaginta legũt primam partem huius verſus hoc pacto: *Scis autem commutationes cæli:* Biblia autem Complutenſia:*Scis verſiones cæli:* ſecundã verò partem Caldæus legit: *Aut pones rationem reuolutionis eius ſuper terram:* quam Nicetas explicat eſſe non ſolum aëris commutationes, & omnia, quæ ſub cœlo contingunt, ſed etiam ipſius cęli conuerſiones; & ideò Menochius affirmat, quod verba: *Ordinem cæli*: intelligenda ſunt, & quo ad ordinem, quem aſtra ſeruant inter ſe, & quo ad motum eorum.

Non ſolum autem Iob,ſed etiam Salomon hoc docuit,quando de illis, qui, relicto cultu veri Dei,tranſtulerunt diuinos honores in creaturas,ſic loquitur:
Sap. 13.2. *Aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam rectores orbis terrarum Deos putauerunt:* nam per

illum

illum gyrum ſtellarum intelligendum eſſe cęlũ Sydereum indicat verſio Syriaca ponẽs: *Aut reuolutiones Syderũ:* & affirmãt Lyranus, & Tirinus dicẽtes, quod per hunc gyrum intelligẽdus eſt Zodiacus; & Menochius ſcribens: *Totus orbis ſtellis inſignitus, nempe cęlum ſtellatũ:* & tãdem Haye aſſerens, quod vtrumque.

Et ideò idem Menochius ad verba Ieremiæ: *Hæc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem Lunæ, & Stellarum in lumine noctis*: addit hanc expoſitionem: *Qui Lunæ, & Stellis præcipit, vt certo ordine, & lege moueantur*: Lyranus verò ad illa verba Iob: *Nunquid coniungere valebis micantes Stellas Pleiadas? aut gyrum Arcturi poteris diſſipare?* ait, quod Arcturus eſt quædam conſtellatio, quæ voluitur circa polum Arcticum, & vocatur maior Vrſa, cuius circumitus non poteſt impediri, niſi à ſolo Deo; cui conſentit Haye, qui exponit hũc gyrum pro recurſu Stellarum: Pagninus verò valde ad rem noſ-

Ierem. 31. 35.

Iob 38. 31.

tram

tram legit ſequentia verba eiuſdem
Iob 38. 32. Iob: *Nunquid producis Luciferum in tempore, & veſperum ſuper filios terræ, conſurgere facis?* ita: *Nunquid exire facies ſigna cęleſtia tempore ſuo, & Arcturum cum Stellis minoribus, veluti cum filijs duces?*

Et hac eadem ratione Tirinus notat
Ioſ. 10. 13. in hiſtoria Ioſue ad verba illa: *Steterunt Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis*: quod ſtante Sole, immota ſtetit etiam Luna, vt ibi habetur, & conſequenter reliqua omnia Aſtra, iubente Deo Angelos cęlorum motores tantiſper ſubſiſtere: & rationem huius vnà cum authoritate Abulenſis, Maſij, Conimbricẽſium, & Serrarij affert dicens, quod non expediebat, vt conſtitutus à Deo, iam inde ab ipſo rerum ortu perpetuus inter cęlum, & ſydera ordo, tenor, ac conſenſus inæquabili vnius, aut duorum ſtatione turbàretur: Eſtius verò idem cum Tirino ſentiens, nempe ſtetiſse totum curſum cę-

le-

leſtium corporum ita, vt vnius diei ſpatio nulla ſydera loco mouerentur, ſed omnia quieſcerent ſeruantia eundem ad ſe mutuò ſitum; notat, quod ideò Solis, & Lunæ tantum mentio facta eſt, quia Sol, & Luna ſunt duo maiora cœli luminaria omnibus notiſſima, & quia ſtellæ, lucente Sole, non apparebant: & hos ſequutus fuit Haye in concordia verborum: *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo*: quæ habêtur in cantico Habacuc, dicens, quod hoc euenit, quando Ioſue iuſſu ſuo ſiſtere fecit Solem, & Lunam, ac conſequenter orbes cœleſtes, vt perſequeretur victoriam contra Amorrhæos, eoſque deleret. *Habacuc 3. 11.*

Imò idem Tirinus non oblitus eorũ, quę in Ioſue ſcripſerat, hìc ait, quod Sol, Luna, & reliqua aſtra ſteterunt immota ad nutum, & obſequium Ioſue, & eadem ibunt, & inſeruient Cyro, reſpondens verò petitioni, quæ fieri potuiſſet ei; vtrum tempore Ezechiæ ſolus Sol, an verò etiam reliqua aſtra retroceſ-

ceſſerint; vnà cum Abulenſi reſpondet, quod ſimul omnia retroceſſerunt; nam alioqui maiori, nec neceſſario miraculo totus cęlorum ordo perturbatus fuiſſet.

Quæ omnia ſatis apertè oſtendunt proprium cęli, & aſtrorum eſſe continuò moueri; quare ommittemus illud teſtimonium, quod ex Cantico Deborę, & Barac deſumi poteſt, nempe: *De cęlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo* (vel vt legunt Septuaginta, & Caldæus: *De ſemitis*, vel vt Vatablus, & Maluenda: *De vijs ſuis*) *aduerſus Siſaram pugnauerunt*: ex quo facilimè colligi poſſet motus ſtellarum, cum ibi dicantur habere ſemitas, vias, & curſum.

Iudic. 5. 20.

Ve-

Venerem, & Lunam moueri.
Caput X.

NOn ſolum in capite præcedenti
attulimus probationes pro mo-
tu cœli,& ſtellarum earum,quę
cœleſtes imagines conſtituunt;ſed etiam
illarum, quæ ſeparatim in cœlo mo-
uentur, & planetæ, ſiue erraticæ ſtellæ
appellantur; nam allata verba Iob: *Nun-* Iob
quid producis Luciferum in tẽpore, & veſ- 38.32.
perum ſuper filios terræ conſurgere facis?
loquuntur de ſtella Veneris, quæ oriens
ante Solem vocatur Lucifer, & occidens
poſt occaſum Solis Veſper appellatur,
vt notat Lyranus affirmans, quod verba:
Producis:&: *Conſurgere facis:* nihil aliud
ſignificant, niſi facere oriri; cui conſen-
tit Codurcius legens: *Iubebiſne oriri ſigna
Zodiaci, atque Helicem?* verum quia Se-
ptuaginta (quos ſequuntur Biblia Com-
plutenſia) legunt: *Et veſperum ſuper eo-*

mam eius duces? ideò Nicetas arbitratus illos reſpexiſſe ad eximium Veneris ſplendorem, quem oriendo ſecum affert, interpretatur comam ipſius eſſe inſignem claritatem, ac venuſtatem, quam coniunctam habet; & ſic ijdem Septuaginta legentes alia verba Iob, quæ dicunt: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis auroræ;* hoc pacto: *Et non videat Luciferum exorientem:* nobis ſuadent non eſſe dubitandum de ortu, & occaſu huius ſtellæ.

Iob 3. 9.

Quare tranſeuntes ad Lunam, & non recedentes à verbis Iob, dicemus, quod ipſa etiam mouetur motu proprio; nam cum ipſe Deo proponeret, ſe nunquam adoráuiſſe Solem, & Lunam, ſic loquebatur: *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè;* quæ verba apertè oſtendunt motum Lunæ, & magis, ſi addatur verſio Caietani, quæ habet: *Et Lunam pretioſam euntem:* maximè autẽ ſi his coniungatur verſio Arabica, quæ dicit: *Et Lunam, cùm orta eſt.*

Iob 31. 26.

Sed

Sed videamus quid in libro Ioſue narretur de miraculoſa ſtatione Solis, vt inde arguamus etiam motum Lunæ; ibi enim habetur, quod Ioſue dixit; *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra Vallem Aialon: Steteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis:* quibus verbis oſtenditur imperatum fuiſſe non tantum Soli, vt infra ſuo loco dicemus, ſed etiam Lunæ, vt ceſſaret à motu, quod fruſtra factum fuiſſet, ſi vterque non moueretur; ideo autem vtrique hoc imperauit Ioſue, quia erant in tali diſpoſitione, quod vterque apparebat ſuper terram, vt frequenter contingit, prout affirmat Lyranus, & ſenſui proculdubio patet.

Ioſ. 10. 12.

Sed repetamus etiam, id quod ſuperius diximus ex mente Abulenſis, & aliorum, nempè omnia aſtra vnà cum Luna ſtetiſſe, ſtante Sole, vt ordo cœli ſeruaretur; nam hoc arguit per neceſſe proprium eſſe Lunæ moueri, ſi enim non moueretur fruſtra hoc in queſtionem reuoca-

uocaretur: imò fruſtra Habacuc dixiſſet in cantico ſuo: *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo, in luce ſagittarum tuarum:* vel vt legunt Septuaginta: *Eleuatus eſt Sol, & Luna ſtetit in ordine ſuo*, vbi alludens Propheta ad hanc hiſtoriam (vt demonſtrat verſio Caldæa, quæ ſic habet: *Quando etiã reddidiſti ſigna ipſi Iehoſuah in planitie Gabaon. Sol, & Luna, ſubſtiterunt in habitationibus ſuis*) dicit expreſsè, quod *ſteterunt in habitaculo ſuo*, quibus verbis oſtendit, vt innuit Tirinus, quod ſicut ad nutum, & obſequium Ioſue contra ordinem propriæ naturæ operati ſunt, ita, inſeruiendo Chriſto Domino per Regem Cyrum figurato, ibunt quocumque ipſe voluerit, etiam ſi nouo miraculo opus fuerit; vt etiam ſignificare vidẽtur ſubſequentia verba, non ſolum ſecundum Vulgatam lectionem, quæ habet: *Ibunt in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ:* ſed etiam ſecundum lectionem Septuaginta, cui concordat verſio Syriaca, quæ eſt: *In luce ſagittæ tuæ*

Habacuc 3. 11.

ibunt

ibunt in luce coruſcationis armorum tuo-rum.

Sed quia de hac ſtatione Lunæ non poſſet haberi prolixus ſermo, niſi etiam de Sole aliquid diceretur, ideo ne bis idem repetatur, abſque cauſa; de ipſa, occaſione Solis, fuſius acturi, tranſibimus ad videndum id, quod maximè in quæſtione eſt, nempe Solem non ſtare, ſed moueri.

Solem continuò moueri.
Caput XI.

QVod autem Sol moueatur nobis indicat poetica illa phraſis, qua Sanctiſsimus vir Iob deſcripſit ortum auroræ ſecundum Ariam: *Nec videat palpebras Auroræ;* quæ verba in verſione Caldæa dicuntur: *Neque aſpiciat radios Auroræ:* in verſione Pagnini: *Nec videat ſplendorem Auroræ:* cum Vulgata ponat: *Expectet lucem, & non* *Iob 3. 9.*

 vi-

videat, nec ortum ſurgentis Auroræ: nam Sol, vt notat Haye, quaſi oculus Mundi, antequam oriatur Aurora, ſicut oculus hominis dormientis palpebra operiri videtur; palpebræ autem auroræ vocantur crepuſculum, & extremitates lucis matutinæ, quæ in Aurora ſunt velut illi pili, qui extremitati palpebrarum adhærentes cæteris oculorum partibus eminentiores ſunt, ſi autem iſtæ palpebræ ſurgunt, vt in Vulgata habetur, ergo etiam oculus; aliàs nimis monſtruoſum eſſet, ſi aliter ſe haberet; imò eſſet contra id, quod dicitur de fulgore Auroræ in ſecundo Regum nempe: *Sicut lux Auroræ, oriente Sole, manè abſque nubibus rutilat*: necnon contra id, quod habetur in Eſther: *Lux, & Sol ortus eſt, & humiles exaltati ſunt*.

2. Reg. 23. 4.

Eſther. 11. 11.

Et quid aliud, melius ſignificant illa verba: *Sol in aſpectu annuncians in exitu, vas admirabile, opus excelſi?* niſi quod Sol, cum primum in exitu ſuo conſpicitur

Eccli. 43. 2.

tur, annunciat maieſtatem, & gloriam Dei, vt ſcribit Haye; quare Menochius dicit: In aſpectu,ideſt,cum nos incipit aſpicere, matutino tempore annunciãs adeſſe lucem,& tempus repetendi opera diurna, in exitu ex Oriente; quod paucioribus expreſſit Tirinus; *Sol in aſpectu,ideſt,cum primum aſpicitur in ortu, & exitu ſuo annuncians, imò cauſans nobis diem;* & quamuis Lyranus aliter hunc locũ exponat;attamen non poteſt euitari, media eius expoſitione, motus ipſius Solis de quo ſolummodo quæritur; cum enim ait: *Annuncians in exitu, ideſt in ſuo occaſu, quando exit de Hemiſpherio noſtro; tunc enim apparent alia luminaria cęli, quę non apparebant antea, propter præſentiam maioris luminis ipſius Solis, & hæc apparitio dicitur annunciatio;* nobis oſtendit ſe pro conceſſo habere motum Solis ab oriente in occidentem.

Quod etiam admittunt verſiones

Caldæa, & Arabica ad illa verba Iob;
Iob 31. 26. *Si vidi Solem, cum fulgeret, & Lunam incedentem clarè;* nam iſta legit: *Si vidi Solem, cum apparuit;* & illa: *Si circuitum Solis contemplatus ſum, cum illuceſceret;* & rectè ſentiunt, nam idem Iob lo-
Iob. 9. 7. quens de Deo dicit, quod ille eſt, *qui precipit Soli, & non oritur;* quæ verba Lyranus expoſuit ita, nempe, quod ille eſt, qui poteſt pręcipere Soli, vt nō oriatur; ſicut enim tempore Ioſuę fecit eum ſtare in medio cœli, ne procederet ad occaſum, ſpatio vnius diei, ita poſſet præcipere, quod ſtaret ante ortum ita, vt non procederet ad illum per aliquod temporis ſpatium, ſecundum ordinem voluntatis, & ſapientiæ ſuæ.

Sed quia de occaſu mentio facta eſt, ideò teſtimonia ad eundem probandum non erit incongruum afferre, & primo ſeſe offerunt verba capitis octaui in hiſtoria Ioſue, vbi habetur, quod idem dux ſuſpendit in patibulo (hoc eſt cruci affigere fecit) Regem vrbis Hai

vſ-

vſque ad veſperam, & Solis occaſum. Ioſ. 8. 29.

Addatur id, quod in primo Machabæorum habetur, nempe: *Cum occidiſſet Sol præcepit Ionathas ſuis vigilare; & eſſe in armis paratos ad pugnam:* & id, quod habetur in Euangelio Diui Marci, nempe: *Veſpere facto, cum occidiſſet Sol* (vel vt verſio Syriaca legit: *In occaſu Solis*) *afferebant ad eum*, nempe ad Dominum, *omnes malè habentes, & dæmonia habentes:* necnon & conſilium Apoſtoli pro acquirenda manſuetudine, quod eſt: *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram:* ex quibus omnibus apertè habetur Solem occidere. 1. Machab. 12. 27. Marc. 1. 32. Epheſ. 4. 26.

Poſſumus etiam addere id, quod in hiſtoria Ioſue narratur de ſtatione Solis, nempe, quod *ſtetit Sol in medio cæli, & non feſtinauit occumbere:* ſed quia in prophetia Iſaiæ inter alia bona, quæ promittuntur poſt diem iudicij, dicitur: *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua nō minuetur:* ideo hoc nobis ſufficiet ad probādū occaſū Solis, & eo magis, quia Ioſ. 10. 13. Iſ. 60. 20.

Eſtius

Eſtius ad hæc verba ſic loquitur : *Non tunc amplius opus erit motus Solis, nam tempus tunc non erit, vt eſt Apocalypſis 10, ſed immota perſiſtent ſingula in loco, & ordine ſuo, vt eſt etiam Habacuc tertio.*

Idem probatur authoritate Dauidis, & Salomonis. Caput. XII.

NImis abſurdum eſſet tanti momenti aſſertum proferre ſine authoritate aliqua Dauidis, qui de cunctis rebus naturalibus diſertiſſimè, pariterque doctiſſimè locutus eſt : ideo ad memoriam reuocabimus qualiter ipſe oſtendit ortum, & occa-
Pſ. 49. ſum Solis, quando ſic loquitur : *A Solis*
1. *ortu vſque ad occaſum, ex Sion ſpecies de-*
Pſ. 106. *coris eius*: & alibi dicens: *A Solis ortu, &*
3. *occaſu, ab aquilone, & mari :* necnon &
Pſ. 112. canens : *A Solis ortu vſque ad occaſum*
3. *laudabile nomen Domini*: & tandem alibi
Pſ. 103 dicens ; *Ortus eſt Sol, & congregati ſunt:*
22.

ybi

vbi oſtendit proprium Solis eſſe oriri; neque diſcrepat ab iam dictis, ex quibus colligitur Solem oriri, & occidere; nam prius dixerat: *Sol cognouit occaſum ſuum*: quæ verba exponit Menochius ſcribens, quod Sol cognouit occaſum ſuum, ſcilicet ſcit quò curſum ſuum debeat intendere, vt ad occidentem perueniat, cui concordare videtur verſio Caldæa, quæ habet: *Sol nouit tempus occaſus ſui*: & à quo non recedit Lyranus dicens, quod determinatè vadit ad occaſum, ac ſi haberet intellectum, quia talis motus eſt ab intellectu intelligentiæ motricis. Pſ. 103. 19.

Sed quia aliquando promiſimus nos allaturos ad hoc propoſitum verba pſalmi decimioctaui, ideo ipſa referamus, nam illa ſic habent: *Sol exultauit, vt gigas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius*: quæ verba, etſi variè legantur nobis, tamen ſufficient lectiones Maluēdæ, Caietani, & Caldęi, cum pri- Pſ 18. 6.

ma dicat: *Gaudebit ſicut praualidus ad currere ſemitam ab extremo cęlorum, & circumuolutio eius ſuper extremitates eorum*: altera verò habeat: *Et circuitus eius ſuper fines eorum*: tertia autem reddat: *Et obſeruat ad currendam in fortitudine viam occaſus veſpertini ab extremitatibus eorum*: nam iſtæ ſatis exponunt ſenſum Prophetę, & oſtendunt, quod Solis proprium eſt moueri, imò currere viam ſuam ab extremo cœli ad aliud extremum, quæ extremitates, & ſummitates appellantur; & ideò Haye dicit, quod ſummum cœli hìc non accipiendum eſt reſpectu verticis noſtri, ſed reſpectu motus Solis ita, vt ſummum ſit, ad quod motus Solis, tanquam ad terminum protenditur; & ſic oriens eſt ſummum, vnde nobis Sol incipit, & occidens, vbi nobis deſinit apparere; quod etiam Tirinus expreſſit ponens: *Vt gigas exiliens currit à ſummo, ſeu extremo cæli ad ſummum, id eſt ad alterum extremum*: & idem Lyranus in-

tellexit,quãdo dixit: *A ſummo cęlo,ideſt ab oriente,egreſſio eius vſque ad occidentem.*

Sed audiamus etiam Salomonem illum, qui, vt Scriptura teſtatur *quæſiuit verba vtilia, & conſcripſit ſermones rectiſsimos, ac veritate plenos*: iſte autem de Sole ſic loquitur: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibique renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus* (hoc eſt Sol, ſecundum Diuum Hieronymum, & Diuum Iohannem Damaſcenum, non eo, quod habeat animam, ſed quia res animat, vegetat, & quaſi ſpiritum illis tribuit, & vitam) *& ad circuitus ſuos reuertitur.* Eccl. 12.10 Eccl. 1. 5.

Quibus verbis quàm clarè doceat motum ipſius Solis facilimum erit cuicumque percipere; ita vt videatur ſuperfluum afferre expoſitionem Lyrani, qui ſcribit ad verba: *Et ad locum ſuum reuertitur*: ideſt ad ortum, ſiue ad orientem,

tem, & ad verba : *Gyrat per meridiem:* in motu enim ab oriente ad occidentem declinat verſus polum Antarcticum, ſiue meridionalem; ad verba verò : *Et flectitur ad Aquilonem:* addit: in motu enim ſuo ab occidẽte in orientem flectitur ad polum Arcticum, ſeu Aquilonem;& tandem ad verba : *Et in circulos ſuos reuertitur:* dicit, quod dupliciter illa exponuntur, vno modo, quod omni die mutatur eius circulatio, appropinquando magis ad Tropicum æſtiuum, vel hyemalem; alio modo, quia ſecundùm plures Aſtronomos Sol plures habet circulos, ſcilicet æquantem, deferentem,& epicyclum.

Poſſet & hac ratione,omitti expoſitio Tirini, verùm quia iſta innititur authoritatibus S.Hieronymi,Olympiodori, Caietani, & aliorum, ideo ipſam afferemus, quæ ſic habet: Non Solum ex oriente graditur verſus occidentem curſu quotidiano, ſed & annuo motu gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilo-

quilonem obliquo acceſſu, & receſſu ſuo inter tropicos Cancri, & Capricorni, nunc ſigna meridionalia, ſeu æſtiua percurrens, nunc aquilonaria, ſeu hyemalia.

Poſſet pariter omitti expoſitio Haye, verùm quia ipſa innititur verſioni Caldeæ, quam à Doctoribus Louanieñſibus vtilem eſſe ad textũ illuſtrandum iudicatum fuit, ideo ipſam expoſitionem vnà cum verſionibus Caldæis, nempe Regia, Zamorræ, & Coſti proponemus; dicit autem Haye: Omnes verſiones explicant curſum continuum, & velocitatem motus Solis, & quod cum peruenit ad punctum orientis, quaſi nouis reſumptis viribus, nouo ſplendore, & gloria oritur, atque mihi videtur dicere noſter Vulgatus, quod poſtquam Sol perambulauit tria ſigna meridionalia, quę ſunt ab æquinoctiali, vſq; ad tropicum capricorni, cum primùm attingit tropicum, non prius aſcendit verſus polum Antarcticum, ſed inde reflectitur ad

Aqui-

Aquilonem,& perambulatis ſignis,quę ſunt à tropico capricorni, vſque ad æquinoctialem,inde pergit ad perambulanda ſigna Aquilonaria.

Caldæa verò lectio, quæ habetur in Biblijs Regijs, valde conueniens cum hac expoſitione ſic habet: *Oritur Sol in die ex latere orientis, & ingreditur Sol in latus occidentis nocte, & ad locum ſuum reuertitur, & ambulat per viam abyſſi, & oriturus eſt cras ex loco, unde ipſe ortus eſt heri, perambulat omne latus meridiei, & redit ad latus Aquilonis via abyſſi.*

At verſio Zamorræ talis eſt: *Oritur Sol à plaga orientali, & occidit à plaga occidentali in nocte, reſpicit, & vadit ad locum ſuum, ibique renaſcens vadit per omnem plagam Auſtralem in æquinoctio Aprilis, & in Solſtitio Iunij circumiens per æquinoctium Septembris, & in Solſtitio Decembris, egreditur ab exitu orientico manè, & ingreditur ad ingreſſum occidenticum in veſpere.*

Tandem verſio Coſti ſic ſe habet: *Sol*

Sol primò die oritur, & ad veſperam in occaſum vergit, & in locum quaſi obrepens abyſſorum, iter conficit, ſub ipſamque auroram ex eo, quo nudiuſtertius conſtiterat, loco illius renaſcitur: curſu ſuo interdiu per meridiem incitatus, nocte ad Septentrionem tendit, & per abyſſum iter, rediens in ipſa Nyſſan, & Tamuz, conuerſione ad eam partem vergit, quæ eſt meridiem verſus; rurſus verò per circuitus ſuos in ingreſſu Tiſri, & Tebet reuertitur ad eam partem, quæ ad Septentrionem pertinet: manè verò, tanquam per feneſtras ortus, egrediens ad multam veſperam in occaſum venit.

Menſuram Diei, & Anni deſumi à motu Solis. Caput XIII.

SAtis probatus eſt motus Solis, ſed non ſatis dictum eſt de illo; quia nimius error eſſet, ſi omitteretur probatio, quæ in dubia ex Sacra Scriptura

tura

tura deducitur, de eodem motu, qui regula,& menſura eſt diei,& anni; nam
Gen. 1. 14. quando Deus dixit: *Fiant luminaria, in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem*: vel vt Caietanus legit: *Ad diuidendum inter diem, ac noctem*: oſtendit ab ipſis ſumendam eſſe horum menſuram, & ne quid dubitari poſſet voluit in hiſtoria ſubiungi, quod ipſe
Gen. 1. 16. *fecit duo luminaria magna, luminare maius, vt praeeſſet diei, & luminare minus, vt praeeſſet nocti*: quod intelligens Lyranus ſcripſit, quod ideò Sol pręeſt diei, quia dies eſt latio Solis ſuper terram, cui ſubſcribens Menochius addit, quod Sol eſt cauſa diei præſentia ſua,& noctis abſentia à noſtro hemiſpherio, quorum vterque in hanc ſententiam trahi videtur ab aliorum verſionibus, nam Oleaſter legit; *Et erunt in ſigna, & in collectiones dierum, & annorum*: Maluenda autem ſic: *Ad ſeparare inter diem, ac noctem, & erunt ſignis, ſtationibus, & diebus, & annis*: Et apertius verſio

ſio Caldæa ponens: *Sint in ſigna, vt numerentur per ea dies, & anni*: imò inhærere videntur ſententię Diui Auguſtini, qui loco verborum: *Vt praeſſet diei*: legit: *In incohationem, ſeu initium diei*: & videntur fulciri à ſententia Dauidis aſſerentis, quod Deus *fecit Solem in poteſtatem diei, Lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis*: ad quæ verba notat Tirinus, quod loco verbi: *In poteſtatem*: ab alijs legitur: *In dominium*: deinde ſubiungit, quod Sol facit diem, & ſuo calore, lumine, varioque influxu omnia viuentia vegetat per diem; Luna verò per noctem: quæ verba Dauidis etiam oſtendunt, quod verſiones Vatabli, Pagnini, & Bibliorum Tigurinorum non ſunt improbandæ, cum in eadem Geneſi vbi dicitur, quod *fecit Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præeſſet diei, & luminare minus, vt præſſet nocti*: habeant: *Ad dominium diei, & ad dominium noctis*.

Pſ. 135. 8.

Gen. 1. 16.

Addatur etiam, quod hæc proprietas

tas, quam habent Sol illuminandi per diem, & Luna per noctem, recenſetur
Ierem 31.35. ab Ieremia in his verbis: *Hoc dicit Dominus, qui dat Solem in lumine diei, ordinem Lunæ, & ſtellarum in lumine noctis:* & hoc idem ſignificare volunt verba
Pſ.120 6. illa eiuſdem Dauidis: *Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctem:* vt abſque alio Doctore percipere poterimus, ſi ad verſionem Caldæam oculos direxerimus, nam illa habet: *In die, quando Sol dominabitur, non nocebunt tibi diurni, neque nocturni, quando dominabitur Luna in nocte.*

Et illa verba primi Machabæorum, & Euangelij Diui Marci, quorum pri-
1.Ma. cab.12. 27. ma narrant Ionatham præcepiſse *ſuis poſt Solis occaſum vigilare, & eſſe in armis paratos ad pugnam tota nocte*; & iſta, quod *veſpere facto in occaſu Solis afferebantur* ad Dominum *malè habentes*: oſtendunt non prius, quam Sol occiderit, aduentare veſperam ita, vt ipſa cum præſentia eius perſiſtere non poſſit.

Si

Si omnia hucuſque dicta hoc indicant, idem non minus faciunt verba Sapientis, qui admirabundus, quod dies diem ſuperet, & annus annum, quamuis omnium cauſa ſit idem Sol, ita loquitur: *Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à Sole?* vel vt Septuaginta legunt: *Et omne lumen diei anni à Sole;* & reſpondet, quòd hoc non alia cauſa fit, niſi quia Sol exequitur præceptum, quod ſibi à Domino in ſua conſtitutione traditum fuit, dicens; *A Domini ſcientia ſeparati ſunt, facto Sole, & præceptum cuſtodiente:* nec minus aperta ſunt aliàs allata verba Iſaiæ Prophetę annunciantis quid futurum ſit poſt diem iudicij, & promittentis, quod non occidet vltra Sol, & Luna non minuetur, nam cum prius dixiſset: *Non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te:* & deinde ſubiunxiſset: *Non occidet vltra Sol tuus:* inde elicere fas erit, quod lucente Sole, dies eſt; occidente verò, nox aduenit.

Eccl. 33. 7.

Iſ. 60. 19.

Refertur, & perpenditur miraculum retroceſsionis Solis factum tempore Ezechiæ. Caput XIV.

DVo miracula, quorum alterum ſpontè, alterum verò inſtante homine, Deus in Sole fecit, ſi debita attentione cõſiderentur, veritatẽ oſtendent eorum, quæ de eodem Sole hucuſque diximus: ſi enim ad id, quod retroceſsionẽ eiuſdem importauit reſpiciemus, inueniemus quod fuit huiuſmodi, nempe cum Rex Ezechias ægrotans petijſset ſanitatem, Deus miſit ad eum Iſaiam Prophetam, vt illi promitteret liberationem à morbo, augumentum quindecim annorum ad vitam, &, in ſignum veritatis huius verbi, accelerationem, vel retroceſſionem Solis in motu; & de hoc à quatuor ſacris ſcriptoribus mentio facta fuit, & primò ab Ieremia, qui ſecundum Di-

uum

ñumHieronymum, Sanctum Iſidorum, & alios apud Sixtum Senenſem, tertij, & quarti libri Regum ſcriptor fuit; ſecundò ab Eſdra in Paralipomenis, quorum, vt Driedo, & eidem Sixto placet, collector fuit; tertiò ab Iſaia in hiſtoria ſuæ prophetiæ; & quartò ab Ieſu Sirac in Eccleſiaſtico.

Primus autem ſic habet; *Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam: Quod erit ſignum, quia Dominus me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia templum Domini? Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum à Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem, quem loquutus eſt: Vis, vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile eſt vmbram creſcere decem lineis: nec hoc volo, vt fiat: ſed vt reuertatur retrorſum, decem gradibus. Inuocauit itaque Iſaias Propheta, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio, retrorſum decem gradibus.* 4. Reg. 20. 8.

Secundus verò hæc pauca habet:

2. Paralip. 32.24. *In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, & orauit Dominum: exaudiuitque eum, & dedit ei ſignum.*

Tertius autem, nempe ille, qui miraculum operatus eſt, rem totam narrat
Iſ. 38. 7. hoc pacto: *Hoc tibi erit ſignum à Domino* (ſunt verba, quæ ipſemet Iſaias locutus eſt ad Regem) *quia faciet Dominus verbum hoc, quod loquutus eſt. Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in Sole, retrorſum decem lineis; et reuerſus eſt Sol decem lineis per gradus, quos deſcenderat.*

Vltimus verò hæc ſolum annotauit:
Ecch. 48. 26. *In diebus ipſius* (loquitur de Iſaia Propheta) *retroredijt Sol, et addidit Regi vitam.*

Quæ omnia in epiſtola ad Polycarpum concluſit Sanctus Dionyſius dicens: *Cum alia quædam dies perpetuo lumine triplo fermè, quam ſolet, maior effecta eſt, & cęlum intra viginti horas (quem iam exegerat curſum) retrogrediens repetit,*

tit, digniſſimiſque miraculo contrariis orbitis, tanta mora temporis remeat Sol, miro itaque inſolito curſu motum illum annuum, varia temporum dimenſione conſtantem, intra decem horarum ſpatium contrahit ipſumque totum rurſus intra decem alias, nouam quandam tenens ſemitam, conficit. Hoc profectò miraculum Babylonios tunc meritò tenuit, & abſque pugna Ezechiæ (vt qui Deo putaretur æqualis, ac mortalibus cæteris virtute præſtare) ſubiecit.

Et in propoſito noſtro ex hac hiſtoria duo notatu digna haberi poſſunt: primò, quod iſta retroceſſio Solis fuit miraculoſa, nam vbi Vulgata in Paralipomenis legit: *Signum*: Biblia Tigurina habent; *Prodigium*: & Pagninus: *Portentum*: & iure merito, nam ſignum in Sacra Scriptura ſignificare miraculum nos docent illa verba Dei in Exodo: *Virgam hanc ſume in manu tua, in* Exo.
qua facturus es ſigna: & verba Dauidis: 4. 17.
Sicut poſuit in Aegypto ſigna ſua: & ver- Pſ. 77.

 ba 46.

Io. 2. 11. ba Euangeliſtæ: *Hoc fecit initium ſignorum Ieſus in Cana Galileæ*, & alia plura loca, & ideo à tribus primis expreſsè dicitur factum fuiſſe hoc ſignum à Deo.

Secundum notabile, quod occurrit eſt Solem moueri; nam, cum dicatur, quod Sol reuerſus fuit, ſignum eſt, quod prius progreſſus fuerat; & quamuis ſit miraculoſa progreſſio eiuſdem Solis vltra modum ſibi conſuetum, qualis futura erat illa, quam promittebat Iſaias: attamen magis miraculoſa viſa fuit regi retroceſſio eiuſdem, quia illa erat iuxta motum naturalem Solis, hæc autem erat dupliciter miraculoſa, primò, quia Sol non progrediebatur more naturali, & ſolito, ſecundò, quia ab occidente verſus orientem retrocedendo progrediebatur: & apertè ipſe Iſaias dicit, quod Sol reuerſus eſt decem lineis per gradus, quos deſcenderat, vel vt legunt Septuaginta: *Et aſcendit Sol decem gradus, quos aſcenderat*

vmbra: vel vt habet verſio Caldæa: *Et regreſſus eſt in figura lapidis horarum &c.* ex quibus habetur indubitata probatio motus, cum habeatur reuerſio, aſcenſio, & deſcenſio eiuſdem Solis.

Examinatur miraculum ſtationis Solis factum à Deo inſtante Ioſue. Caput XV.

DE miraculo, quod ad inſtantiam hominis factum fuit à Deo, tribus in locis mentio fit in Sacra Scriptura, nempe in hiſtoria Ioſue, in cantico Habacuc, & in Eccleſiaſtico.

In Ioſue ſic habetur: *Tunc locutus eſt* Ioſ. 10
Ioſue Domino, in die, qua tradidit Amorrhæum in conſpectu filiorum Iſrael dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne moucaris, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis. Nõne ſcrip- 12.

tum eſt hoc in libro iuſtorum? Stetit itaque Sol in medio Cæli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius Dei.

In cantico autem Habacuc ſic dicitur: *Sol, & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo.*

Habacuc 3. 11.

Eccleſiaſticus autem veraciſsimus Encomiaſtes Sanctorum illorum, qui ipſum præceſſerunt, ita ſcripſit: *Annon in iracundia eius* (hoc eſt Ieſus Naue) *impeditus eſt Sol, & vna dies facta eſt quaſi duo?*

Eccl. 46.5.

Quæ omnia Areopagyta Philoſophus clariſsimus, myſticæ theologiæ Doctor ſubtiliſſimus, Athenarum Epiſcopus vigilantiſsimus, & Galliarum Apoſtolus celeberrimus, nempe Sanctus Dionyſius in epiſtola ad Polycarpum hiſce paucis verbis comprehendit: *Sol, & Luna per ſummam vim, ſtatu omninò mirabili, vnà cum cęlo, vt eſſent prorſus immobiles, ipſius imperio paruerunt, atque ad diei totius menſuram in eiſdem ſignis omnia conſtiterunt.*

Ex

Ex quibus primo colligo, quod ſtatio iſta fuit miraculoſa; nam fruſtra addita eſſent illa verba: *Obediente Deo voci hominis;* niſi per illa ſignificaretur, quod opus fuit ſpeciali aſsiſtentia Dei ad hoc, vt vox, ſiue oratio illius exaudiretur, quod optimè declarauit verſio Caldæa ponens: *Vt ſuſciperetur ante Dominum oratio hominis:* & fruſtra appoſita eſſent illa verba: *Nonne ſcriptum eſt hoc in libro iuſtorum?* niſi id factum fuiſſet ad hoc, ne res iſta in dubium reuocari poſſet, nam cum *in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum,* & de hoc mentio facta eſſet ab ipſo Ioſue in ſua hiſtoria, à Propheta Habacuc in ſuo cantico, & à Ieſu filio Sirach (qui fuit vnus ex ſeptuagintaduo, vulgo Septuaginta dictis, Interpretibus, qui ad inſtantiam Ptholomei Philaldepri antiquam Vulgatam verſionem ediderunt) in Eccleſiaſtico, necnon & in alio libro: *Iuſtorum:* vel: *recti:* vt Arias, aut: *Legis:* vt Caldæus, aut: *Canticorum:* vt Syria-

Matt. 18.16.

Syriacus legunt; de ipſo nimis pertinacem impietatem ſaperet velle dubitare;& eò magis,quia vbi Sapiens in laudãdo Solem, & eius proprietates enar-
Eccl. rando dicit: *Magnus Dominus, qui fecit*
43. 52. *illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter:* quæ verba intelliguntur ab Interpretibus ſignificare, quod Deus iuſſu, & ordinatione ſua vrget Solem, ita vt maxima velocitate totum cœlum perluſtret; alij nempe Biblia Complutenſia: *Ceſſare fecit iter* & Maluenda: *Repauſare fecit profectionem:* legentes, inde arguẽdi prebent anſam, quod Sol illico ceſſat à motu ſuo, licet velociſsimo, cum Deus iubet, vt notat Haye.

Secundo colligo, quod Sol verè ſtetit,nam hoc expreſsè narrat Sacra Scri-
Ioſ. 10. ptura ibi: *Sol contra Gabaon ne mouea-*
12. *ris, & Luna contra vallem Aialon: ſtete-*
Habacuc 3. *runtque Sol, & Luna:* & ibi: *Sol, & Luna*
11. *ſteterunt in habitaculo ſuo:* necnon &
Eccl. 46 3. ibi: *Annon in iracundia eius impeditus eſt*

Sol:

Digitized by Google

Sol: & ſi declaratione indigerent, ſufficerent verba allata Sanctiſsimi Areopagytæ dicentis, quod Sol, & Luna ſtatu omnino mirabili, vna cum cœlo fuerunt prorſus immobiles, quibus addi poſsent verſiones eandem Scripturam declarantes; nam Pagninus legit: *Sol expecta, & expectauit Sol, & Luna*: Maſius verò ita: *Sol inſiſte, & moratus eſt Sol, & Luna ſubſtitit*: Arabica vero dicit; *Manete*: at Syriaca: *Sol ſiſte gradum*: ſed melius, quam omnes iſtæ, Septuaginta habent: *Stet Sol ſupra Gabaon, ſtetit Sol in ſtatione*: & verſio Caldæa in cãtico Habacuc: *Sol, & Luna ſubſtiterũt in habitationibus ſuis*: omiſſis tandem, quæ ad verba: *Impeditus eſt Sol*: habent verſio Arabica, & Biblia Tigurina, nempe: *Sol ſtetit*: ac: *Sol reſtitit*.

Tertiò colligo, quod motus proprius Solis eſt ad occidentem, nam in hiſtoria ponitur: *Et non feſtinauit occumbere*: vel, vt legunt eadem Tigurina: *Non feſtinauit ad occaſum*: vel, vt Septuaginta: *Non*

Non procedebat ad occaſum.

Tandem colligo, quod ipſe Sol eſt menſura diei; dicitur enim: *Non feſtinavit occumbere ſpatio vnius diei*: & poſtea ſubiungitur: *Non fuit antea, nec poſtea, tam longa dies*: & ideo Maluenda legit: *Non incubuit ad venire ſic; vt diem conſummaret*, Septuaginta verò: *Non procedebat ad occaſum in finem diei vnius*: & ſic in Eccleſiaſtico dicitur: *Et vna dies facta eſt quaſi duo*: ſecundum Vulgatam lectionem, cum in Tigurinis Biblijs legatur: *Et dies vnus excrevit ad duos*: ad quę notat Menochius, quod hoc fuit eo, quia fuit ferè duplo ſolito longior.

Re-

Referuntur nonnulla allata loca, ex quibus terræ immobilitas probatur. Caput XVI.

SEd iam terram appetimus, ideo complicatis velis vnà cum ipſa quieſcamus: nam certè quieſcit, vt ex illo Prophetæ habemus: *Ipſe*, nẽpe Deus, *fundauit orbem immobilem*: & eius interpres Lyranus declarat hanc immobilitatem ſpectare ad cœlum Empyreum, quod eſt in ſuperficie ipſius orbis, & ad terram, quæ eſt in centro eiuſdem: imò idem Propheta, vt melius hoc intelligeretur alibi coram Deo, ita confeſſus fuit: *Initio tu Domine terram fundaſti*: quaſi diceret in principio Mundi traditam fuiſse ſtabilitatem terræ à Deo ipſam fundando, vt oſtendere videtur verſio Caldæa, quæ habet: *A principio, cum crearetur omnis creatura, terram fundaſti*.

1. Paral. 16. 30.

Pſ. 101. 26.

Hæc

Hæc enim verſio recedere non poteſt à mente eiuſdem Dauidis, qui aliàs
Pſal. 103. 5. ſic Deum alloquutus eſt: *Tu es, qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi*; quod propoſitum alij in verſionibus ſuis exprimere cupientes aliter, atquè aliter legerunt; ideo verſio Syriaca habet: *Firmaſti terram ſuper firmamentis ſuis*; & Mouretus: *Tu iecisti terræ fundamenta ſupra baſes eius*: Pagninus verò: *Super locum ſuum*: Aquila; *ſuper ſedes*: Nobilius: *Super ſuſtentacula eius*: & tandem Diuus Hieronymus: *Super baſem ſuam, non commouebitur in ſeculum ſeculi*: & ideo Lyranus ad hęc verba addit, quod ipſa non inclinabitur declinando à centro in aliquam partem, quia hoc eſt ſibi connaturale: Menochius verò addit, quod exiſtens in ſua baſi, & ſede, nunquam inde dimouebitur, vel motu recto, vel in gyrum acto: Tirinus autem ſcribit, quod iſta verba hoc ſibi volunt nempe: Res mira eſt, & meritò

cele-

celebranda, quod terram, quaſi pilam in medio vniuerſi ſuſpendas, nec aliud ei fundamentum, ſeu baſim ſubſternas, quàm vnum punctum, ideſt centrum.

Propterea Salomon ſapientiam Dei laudans hæc verba protulit: *Deus ſapientia fundauit terram* (vel, vt legit Caldęus, *poſuit fundamenta terræ*) *et ſtabiliuit cęlos prudentia*· necnon, & ipſe Dauid, addens aliam laudibus iam Deo redditis propter hoc, cecinit: *Tui ſunt cęli, et tua eſt terra, orbem terræ, et pulchritudinem eius tu fundaſti:* & non abſque maxima ratione, nam ipſemet Deus inter proprias laudes hanc ęnumerauit, quando Iob ita interrogauit: *Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ?* quæ verba aliter à Pagnino, & aliter à Verſione Arabica legũtur, nam ille habet: *Vbi fuiſti, quando fundabam terram?* hæc verò? *Quando eram confirmãs fundamenta terræ?* qui etſi diſſentire videantur à Diuo Hieronymo in translatione verborum, attamen conſen-

Prou. 3. 19.

Pſ. 88. 12.

Iob 38. 4.

ſentiunt in expoſitione ſententiæ, imò ipſam magis exprimere nituntur.

Prout etiam idem Pagninus cupit hoc facere ad verba in eodem Iob de Deo, quæ aſſerunt, quod ipſe eſt, *qui appendit terram ſuper nihilum:* legens;
Iob 26. 7. *Suſpendit;* & vim augens interpretationis Lyrani, quæ eſt, quod terra dicitur appenſa ſuper nihilum, quia ſic ſtat in medio Mundi, tanquam centrum per naturam ſuam à Deo ſibi datam.

Quæ verba Lyrani, etſi aliàs attulerimus, attamen hic congruum fuit repetere, prout etiam non inconueniens erit iterum afferre expoſitionem Haye ad canticum Annæ, quia maximè huic loco conuenire videtur; in cantico
1. Reg. 2. 8. enim habetur: *Domini ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem;* ipſe verò ita loquitur: Per hos cardines terræ, intelligo ipſam ſtabilitatem, & firmitatem, quæ ponderibus librata ſuis, tanquam centrum in medio Mundi immota exiſtit, & omnia velut baſis fulcit, & ſuſti-

ſuſtinet, vnde quidam verterunt: *Columna terræ*: quæ autem aliæ columnæ terræ fingi poſſunt, quam terræ pondera? alij: *Fortitudines*: ſeu: *Vires terræ*; quaſi hæc terræ pondera ſint quædam veluti munimenta, quibus ipſa aduerſus externas incurſiones ſtabilitur, ne à loco ſuo conuellatur.

Sed ſi retulimus horum expoſitiones, fas ſit etiam aliam eorundem referre cum verbis eiuſdem Iob dicentis de Deo, quod ipſe *commouet terram de loco ſuo*: vel, vt legunt Septuaginta: *Commouet eam, quæ ſub cælo eſt à fundamentis*: nam Haye, attendens potentiam Dei, ſcribit ipſum poſſe terram omninò deſtruere, vel à centro ſuo, ſi ei placet remouere; Lyranus verò, attendens ordinariam operationem, ponit, quod ipſam non mouet ſecundum ſe totam, ſed ſecundum aliquas eius partes, quas Tirinus declarat eſſe vrbes, montes, & inſulas; ex ipſis enim, vel potius ex verbis Prophetæ arguitur, cum Deus Iob 9. 6.

G refer-

reſeruauerit potentiæ ſuæ mouere terram, motum valdè abeſſe à natura ipſius.

Neque dicendum eſt per hæc verba ſignificari motum orbicularē ipſius terræ, ita vt poſſint interpretari, quod proprium eſt Diuinæ Sapientię mouere terram de loco, in quo reperitur, & ferre illam in locum, ad quem debet tendere: nam hoc non debere intelligi nos docent verba ipſiuſmet Dei dicen-
℣. 13. tis: *Super hoc cælum turbabo, & mouebi-*
13. *tur terra de loco ſuo propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius*; nam ipſa oſtendunt, quod iſta commotio terræ de loco ſuo nondum euenit, ſed tãtum continget in die iudicij, & hæc non erit translatio ipſius, quoad totam de loco ad locum, ſed tantum concuſſio, & trepidatio, vt oſtendit verſio Pagnini, quæ habet: *Cælum mouere faciam, & contremiſcet terra* & verſio Septuaginta dicens. *Cælum indignabitur, & terra*

con-

concutietur à fundamentis ſuis in illa die, qua ſuperueniet furor eius: imò ipſe Iſaias alibi loquens de hac die iudicij: *Qui fugerit à voce formidinis cadet in foueam, & qui ſe explicauerit de fouea tenebitur laqueo, quia cataracta de excelſis apertæ ſunt, & concutientur fundamenta terræ*: vnde, & iure Menochius notat per hæc verba ſignificari terram tunc temporis inſolitis motibus agitandam, & concutiendam eſſe. *Iſ. 24. 18.*

Idem aliunde probatur. Caput XVII.

AEquum viſum eſt Spiritui Sancto, hoc eſt illi, qui Spiritus Sapientiæ, & Intellectus appellatur, pluries in Scripturis de fundamentis terræ mentionem facere; ideò nemini incongruum videatur, ſi iterum de illis ſermonem habemus, & in medium afferrimus verba Apoſtoli contra

Simonem Magum, alioſque hæreticos Angelis pluſculum tribuentes probantis Ieſum Chriſtum eſſe Deum, ideoq; longè maiorem Moyſe, Prophetis, & Angelis omnibus; & inter cætera teſti-
Hebr. monia, hoc afferentis; *Tu in principio*
1. 10. *Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli:* nam iſtud ſignificat Deum ieciſſe fundamenta terræ, & eam, vt ait Menochius, firmam, & ſtabilem in centro Mundi reddidiſſe; quod exprimere etiam voluit verſio Syriaca, quę loco verbi: *Fundaſti*; habet: *Poſuiſti fundamenta terræ*; quamuis per verbum: *Fundaſti:* ſatis probetur ipſam conſeruari in ſtabilitate, vt docet Lyranus, & conſentit Eſtius, qui ita ſcribit: *Tu Domine, dicitur, terram fundaſti, ideſt terram feciſti firmam, ſtabilem, immobilem, idque in principio, hoc eſt omnium primò; cum ſcilicet, ante eam nihil factum eſt.*

Neque fundamento caret iſta expoſitio; nam Deus in Iſaia de ſe ita lo-

quens:

quens: *Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos ſolus, ſtabiliens terram, & nullus mecum*: docuit idem, quod iſti aſſerunt, nam etſi verbum: *Stabiliens*: per ſe ipſum importet firmitudinem, & immobilitatem; attamen verſio Septuaginta oſtendit non aliter eſſe interpretandum, cum dicat: *Et firmauit terram*: cui verſioni, ſi quis renuit acquieſcere, audiat verba eiuſdem Dei apud eundem Iſaiam tali pacto loquentis: *Manus mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cęlos*: quæ verba verſio Syriaca oſtendit ſignificare id, quod modo allati aſſeruerunt Septuaginta Interpretes, nam in illa legitur: *Manus mea firmauit fundamenta terræ*: vbi ad rem Lyranus notat, hoc ideò dici, quia terra eſt pars infima mundi, ſicut fundamentum in domo.

Iſ 44. 24.

Iſ 48. 13.

Nec propterea Lyranus intendit aſſerere, quod terra moueatur, quamuis ſit pars infima mundi; quia nimis repugnaret menti Scripturæ, quæ alijs etiam

expoſitoribus occaſionem dedit aſſerendi ipſam immobilem, prout fecit Menochius, qui ad illa verba Zachariç:
Zach. 12. 1. *Dicit Dominus extendens cęlum, & fundans terram*: addidit: *Stabiliens, & collocans ita, vt ſit immobilis*: quid enim ſibi volunt illa verba Iſaiæ:
Iſ. 42. 5. *Hęc dicit Dominus Deus creans cælos, et extendens eos firmans terram, & quæ germinant ex ea*? Niſi quod terra firma eſt in centro ſuo, eadem proportione, qua ſunt firma in terra ea, quæ ex ipſa germinant.

Sed quomodo ea proportione? Nam multo maiori firmitate terra ſtat in centro ſuo, quam quælibet germinantia in terra; & ideo, vbi Verſio Vulgata refert verba Salomonis ita:
Prou. 8. 29. *Quando circundabat mari terminum ſuum, et legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos, quando appendebat fundamenta terræ*: Septuaginta legũt: *Quãdo fortia*: Verſio verò Arabica: *Stabilia faciebat fũdamẽta terræ*: vnde Lyranus declarans quænam ſint iſta fundamenta ſcribit, illa eſſe

ſe partes terræ inferiores circa centrũ, quæ ſunt quædam fundamenta ſuperiorum partium; at Menochius declarans totam periodum aſſerit, quod poteſt etiam legi: *Quando ſtatuit fundamenta terræ:* deinde ſubiungit: *Sunt autem fundamenta terræ ipſa illius ſtabilitas, in qua velut in fundamento conquieſcit:* iuxta illud pſalmi: *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam:* & reddẽs rationem, quare noſter interpres vſus fuerit verbo: *Appendebat:* dicit, quod hoc fecit, vt oſtenderet Deum ſua manu continere, & quaſi ponderare terram, vt habetur in libris Iſaiæ, & Iob, nam ibi legitur: *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?* & hic dicitur: *Qui appendit terram ſuper nihilum.*

Pſ. 103. 5.

Iſ. 40. 12.

Iob. 26. 7.

Rectè autem dicuntur fundamenta terræ firma, nam ipſa Michæas aſſeruit fortia eſſe, quando his verbis vocauit illa ad audiendum iudicium Domini:

Mich. 6. 2. *Audiant montes iudicium Domini,& fortia fundamenta terræ*: & profectò maximam fortitudinem ea in ſe continere patet, ex verſione Caldæa, quæ dicit illa habere etiam radices.

Sed iam videatur quid voluerit ſignificare ipſemet Deus ſic loquens ad Iob
Iob 38. 6. de conſtructione terræ: *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? Aut quis demiſit lapidem angularem?* quas *baſes*, vel *ſuſtentacula*, vt legit Maluenda *ſubuerſas* vult Pagninus, *defixas* verò Caietanus, ea ratione, vt Haye ſentit, quia fundamenta terræ, quaſi ſubuerſa ſunt, vt ſolidè ſuper ea ædificium conſtruatur: & ſuper has collocabimus argumentum pro ſtabilitate terræ, nam baſes eius, & lapis angularis, vt ſcribit Tirinus ex ſententia Doctorum, ſunt eiuſdem à Deo indita ſtabilitas, qua in loco ſuo firma, & immota conſiſtit, perinde ac ſi baſibus inniteretur, & lapidibus angularibus latera vndique ſtringentibus vinciretur.

Vn-

Vnde ille Dauid, qui pluries de hiſce baſibus loquutus eſt, aliquando, vt omne, quod circa earum ſtabilitatem poſſet oriri, dubiũ penitus tolleret, monuit quod Deus *ædificauit ſicut vnicornium* Pſ. 77 *ſanctificium ſuum in terra, quam fundauit in ſecula:* 69. hoc eſt firmã reddidit, & ſtabilem (vt pluries dictum eſt) quouſque durabunt ſecula, videlicet per totam æternitatem; cuius cum ſit proprium habere omnia præſentia, & carere præterito, & futuro, ideo ipſe alias ſcripſit: *In generationem, & generationem veritas tua: fundaſti terram, & permanet:* Pſ. 118 90. quæ verba, quàm apertè exprimant continuam, atque æternum duraturam ipſius ſtabilitatem cuicumque non turbati iudicij viro decernendum relinquitur.

Sed quia iam diximus, & probauimus per motionem terræ intelligi terræmotum; ideo poſſumus arguere non alium motum, præter concuſſionem, ipſi competere; Spiritus enim Sanctus,

ille

ille, qui nos docet omnia, non omiſiſ-ſet in hac re tollere ambages, ſi occurrere potuiſſet.

Et quia aſſeruimus, quod verba Iſaiæ Prophetæ dicentis, quod Deus eſt,
Iſ. 40 *qui ſedet ſuper gyrum terræ:* poſſunt in-
22. terpretari, vt ſignificent ipſius ſedem eſſe terram, tanquam ſedem ſummi inter omnes Principes terrenos; ideo non
Prou. omittendum eſt illud Salomonis: *Thro-*
29. 14. *nus eius in æternum firmabitur:* vt, poſita hac interpretatione, arguatur, & ipſam ſententiæ noſtræ fauere.

Sed iam illum audiamus, qui vera-
Sap. 7. citer de ſe ipſo ita loqui potuit: *Deus*
17. *dedit mihi horum, quæ ſunt, ſcientiam veram, vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum, & virtutes elementorum*: iſte enim
Eccl. ſcripſit: *Generatio præterit, & generatio*
1. 4. *aduenit, terra autem in æternum ſtat*: vel, vt habent Syriacus, & Arabicus: *Perſtat:* quæ perſiſtentia intelligenda eſt, non tantùm quoad alterationem, vt monet Lyranus, quam in inferioribus

par-

partibus propè centrum non patitur, ſed etiam quoad motum, itaut ſtabilis maneat, & non ſequatur rationem cœli, & ſyderum, & ideo ſubiungitur: *Sol oritur, & occidit*. *Eccl. 1. 5.*

Et quomodo volumus intelligere verba Dauidis: *De cælo auditum feciſti iudicium, terra tremuit, & quieuit?* niſi admiſerimus ipſam poſt tremorem ceſſaſſe à quolibet motu, & ab omni alio, præter illum, quem efficit concuſſio, vel tremor, eſſe immunem; itaut ceſſante tremore ſemper quieſcat, iuxta illa, quæ idem tradidit dicens, quod *Deus correxit* (vel, vt legit Symmachus: *Stabiliuit*) *orbem terræ, qui non commouebitur:* vel potius: *Appendit orbem immobilem:* vt legit D. Hieronymus, cuius verſio optimè finem imponet noſtræ probationi. *Pſ. 95. 10.*

Ex prædictis arguitur terram non moueri motu trepidationis. *Caput XVIII.*

PVto tutius eſſe aſſerere terram nullatenus moueri, quam, admiſſo motu trepidationis, impugnare orbicularem: ſi enim probauimus, quod terra ſtat, ergo, cum illa ſit perfecta ſtatio, nullo modo mouebitur. & ſi, vt diximus, per motum, & trepidationem in Sacra Scriptura ſignificatur cōcuſſio, neceſſarium eſset in eadem inuenire aliquid aliud ſignificans trepidationem ipſam.

Addatur, quod ipſa non ſolum fundata eſt, ſed etiam *fortia* habet *fundamenta*, vt ex Michæa retulimus: ergo ſi talia ſunt, non credendum eſt per amotionem alicuius rei ipſam trepidare; cũ videamus turres, & palatia, quæ fundamenta non æquè fortia ac terra

Mich. 6. 2.

terra habent, per ablationem alicuius modicæ partis non trepidare.

Et ſi in Cantico Dauid aſſeritur, quod Deus *fundauit orbem immobilem:* nonne per illud refellitur hæc opinio, quæ nunquam terræ ſtabilitatem concedit, & hæc ideo contraſtare videtur aſſertioni Dauidis dicentis, quòd terra poſtquam tremuit, quieuit; nam ſi iſte tremor eſſet non agitatio terræ, ſed trepidatio propter variationem centri, cum ſemper aliquid ſupra terram moueatur, non percipitur quomodo poſſit dici, quod aliquando quieuit. *1. Paral.16 30.*

Imò, ſi idem Dauid, nos docuit, quod Deus perfectè *correxit orbem terræ*, quare ipſe *non commouebitur*; nimis inualida videretur hæc diſpoſitio, ſi propter tam leues, & frequentes cauſas, quales ſunt illæ, quæ trepidationem efficere poſsunt, commouendus eſſet. *Pſ.95. 10.*

Et tandem ſi hæc trepidatio nihil aliud eſt, niſi motus, quo terra inclinatur propter ablationem, & additionem

par-

partium; quomodo poteſt admitti? Si voluerimus ad litteram intelligere verba ipſius Dauidis dicentis, quod proprium ſtabilitatis, ſupra quam fundata eſt terra, eſt, vt ipſa nunquam inclinetur, cuius verba alias allata hęc ſunt:
Pſ.103 5. *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi.*

Et hæc ſufficiant ad oſtendendum, quod terra, quæ in centro mundi conſiſtit, & circa quam Sol continuò voluitur, non mouetur alio motu, quam concuſsione, quæ propterea terræmotus appellatur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

D. Stephanus Seminus C. R. S. Pauli in Metropolitana Bononienſi Pęnit. pro Eminentiſsimo, ac Reuerendiſs. Card. Boncompagno Archiepiſco- Bononiæ, & Principe.

Comiſſum mihi à te, P. Reuerendiſs. Tractatum De Immobilitate Terræ *eruditiſsimi* P. Horatij Mariæ Bonfioli *percurri, nec quidquam in eo fuit aduertere, quod Summorum Pontificum Decretis aduerſetur; ſicut enim in ſuo ſe Terra centro firmat immobilem, ſic ille nuſquam in noſtræ Fidei nutat fundamentis; immò totus innititur Scripturæ, ac Euangelij Dogmatibus, quæ inconcuſſos Catholicæ Religioni ſupponunt ſtylobates. Quocirca, te non abnuente, dignum qui preſſus Typorum torcularibus ſuum magis oſtentet robur, exiſtimo.*

Io. Franciſcus Bonomius.

Imprimatur.

Fr. Marcellus Ghirardus Sac. Theolog. Lector, ac S. Officij Bonon. Vicarius Generalis.

Digitized by Google